LANX SATURA
POSITIONUM
PRIMAS LINEAS
.AECOGNITORUM
HISTORICORUM
SUMMA ITEM CAPITA
FRANCORUM ET CAROLI M.
HISTORIA
SUCCINCTE EXHIBENTIUM

ATQUE

DEO IUUANTE

IN PERANTIQUA EBERHARDINA



PRAESIDE

MICHAELE HALLWACHSIO,

Hiſtoriarum, Eloq. ac Poës. Prof. Publ. Ordin.
Vniuerſitatis h. t. Rectore,

A. O. R. cIↄ Iↄcc xxVIII.


a. d. 2. Menſ. Septembris,

N ACROATERIO PHILOSOPHORUM AESTIUO
VENTILATARUM

à

NDIDATIS MAGISTERII PHILOSOPHICI.

TUBINGÆ,
apud CARL. THEOPHIL. EBERTUM. 1728.



L. S.

EX quo Vniuerſalem inprimis Hiſtoriam in dulciſſimo noſtro Athenaeo publice tradere occoepimus, noſtram ita ſemper partiti operam ſumus, vt *tribus ſemeſtribus* tria, in quae telam noſtram diuiſimus vniuerſam, *Penſa* cum Auditoribus noſtris abſolueremus. Expoſuimus vero *primo ſemeſtri*, quae de Hiſtoriarum indole, fontibus, adiumentis, diuiſionibus et vſu, ſcitu necesſaria et ad Praecognita, vti vocant, ſpectare duximus, ſubiuncta ipſa, inde ab O.C. ad Carolum M. vsque, Hiſtoria; *Secundo* ſemeſtri cum Carolo M. coepimus et in Friderico Iv. deſiimus; *Tertio* denique res à Maximiliani I. aetate ad noſtra tempora geſtas, pro eo ac par eſt, enarrauimus. Singulas partes maiores in ſuas iterum, quas res ipſae poſtularunt, Periodos diſtinximus minores, veritati, certitudini, quantum licuit, vtilitati et breuitati vbique maiorem in modum ſtudentes. Sequuti autem primo ſumus *Waldkirchiani* Compendii filum; poſtea vero, non vna ratione ducti, ſinceris rerum fontibus diligenter conſultis, ipſi ſtilum vertere atque, elaborato prolixo *Poſitionum* luculentarum, earumdemque idoneis, quos magna contentione vndecumque conduximus, teſtibus ſtudioſe munitarum ſytmate, quas docere inſtituimus, hiſtorias contexere ſumus adgreſſi. Quoties igitur cumque ab ouo noſtrae nobis incoandae ſunt Lectiones, quae congesſimus ipſi, prae oculis magis, quam aliorum ſchemata, habemus. Quum vero iam et ſpes nobis adſulgeat, fore, vt diſputantium quoque ex cathedra publica de rebus hiſtoricis congresſus moderandi frequentior nobis deinceps ſubnaſcatur occaſio: cum


animo

animo ftatuimus, ex ista Positionum à nobis concinnatarum farragine illas ex ordine deligere subinde, ac disſertantium incudi subiicere, quae praecipuarum ſaltim, earumque ſcitu necesſariarum et vtilium maxume, geſtarum in orbe vniuerſo rerum ſummam complectuntur. Pro cuius inſtituti ratione producere hac etiam occaſione in ſcenam decreuimus, quae ad *Praecognita* et *Hiſtoriam Ante- et Poſt-Diluuianam*, eamque *Ante-Monarchicam*, ſpectant; proxume autem *Primae, Secundae* ac *Tertiae*; demum *Quartae Monarchiae* res, ſeruata Imperatorum ſerie, atque vbiuis aliorum Regnorum Populorumque *Synchroniſmo*, quanta fieri breuitate posſet, adiecto, exhibere. Mutare autem iſthoc conſilium atque, ſepoſito tantiſper primo, ab ſecundo Penſo noſtro principium capere, ac primis *Praecognitorum* lineis continuo *Caroli Magni* et, quam merito Carolingicae praemittimus, *Francorum* hiſtoriam ſubiungere certis de cauſſis debuimus. Pergere deinceps quoque iſto tramite animus eſt ad *Maximilianum I.*, immo, DEO indulgente ac rebus ita ferentibus ad noſtra tempora vsque; Primae Parti poſtremo tandem adiecturi manum. Quod reliquum eſt, in Poſitionum formatione atque dilectu, conſilii diſputandi memores ſemper, breues tamen & perſpicui, quoad eius fieri poterit, erimus. Complectetur autem illud, ad quod iam nos adcingimus, Penſum *Periodos quatuor*; quarum I. cum *Henrico Aucupe*; II. cum *Henrico Nigro*; III. cum *Alphonſo Caſtellano*; IV. cum Maximiliani Patre, *Friderico*, definet. Periodus I. *Sectione I.* de Francis generatim & originibus Caroli M. Francicis, *Sect. II.* de Imperatoribus Franco-Carolingis; Eiusdem autem *Capitibus ſingulis* de ſingulorum, ad Henricum Aucupem vsque, Imperatorum rebus aget. Age igitur, ad rem progrediamur ipſam, proxumis actutum poſitionibus primas

Praecognitorum, de Hiſtoria generatim,

ducentes lineas.

Poſ. I.



POSITIO PRIMA.



Nte, quam in ipſum Hiſtoriarum oppido amplum, anfractuoſum & difficilem, excurras campum, *de Hiſtoria generatim, Natura* eius, *Diuiſionibus, Fontibus,* atque *Subſidiis, Fide &* quae id genus alia ſunt, quantum pro ſcopo tuo ſatis eſt, didiceris, e re tua, immo neceſſarium eſt.

II.

Eſt vero Hiſtoria rerum omnium, vel producentium alias, vel natarum, vel productarum, vel geſtarum ab aliis, ſiue ſcientia ſeu notitia, ſiue deſcriptio, ſiue narratio, vel ex propria cuiusuis contemplatione atque experientia;

vel ex aliorum relatibus atque fide profecta.

III.

Vox ipsa Graecis, vti disciplinarum ab istis ad Romanos translatarum plerarumque omnium, suam debet originem; latina ciuitate olim iam donata.

IV.

Qui sua interesse arbitrantur, vt cubilia eius non ignorent, omnium minime a ianua, quod aiunt, aberrabunt, si in vocabulo ista quaerant, quod sciendi, atque inde testis, arbitri, iudicis, periti, notionem subgerit.

V.

Alia autem est *Historia*, alia *Historice*.

VI.

Haec scilicet praeit modum, quo tradi recte, texi apte, legi prudenter atque iudicari sapienter ista debeat: vt fidem

fidem inueniat, vt doceat, vt profit atque delectet.

vII.

Neque ſane inutilem luſiſſe operam cenſendi ſunt, qui olim atque noſtra aetate in ea quoque excolenda multi fuerunt atque ſeduli.

vIII.

Vti de cetero Hiſtoriae accidit, vt vel ſciatur tantum, vel ſcribatur etiam, vel narretur: ita in aliam notitiea ſeu ſcientiae, in aliam narrationis ſiue commemorationis titulus ſpeciatim cadit.

xI.

Occupatur Hiſtoria rebus, ſeu rerum recenſu;

x.

Vel, ſi mauis, ne rerum vocabulo abuti videamur, omnis Hiſtoria eſt vel verborum, vel rerum, vel actionum cum omnibus, quae illas antecedunt,

dunt, comitantur & conſequuntur, circumſtantiis ſpectatarum.

xI.

Hiſtoria *verborum* debet explicare vocabulorum impoſititiorum & declinatorum, variisque inſtitutis deſtinata opera fictorum, origines, rationes, fata, vſus & abuſus, ſcholaſticos, ciuiles & eccleſiaſticos, incredibilem, ſi felicia iſti & ſedula operarentur ingenia, in Scholis, Republica & Eccleſia praeſtitura vtilitatem.

xII.

Hiſtoria *rerum* rationem habet omnium, quae ſunt & quae fuerunt, quae aliis, vt ſint, cauſſa exſtiterunt, & quae aliis, quod ſunt, acceptum referunt, quae Deo auctori, & naturae, quam vocant, viribus vel & hominum ingenio, induſtriae ac ſollertiae debentur.

xIII.

xIII.

Huius pars nec ipſum rerum quarumuis conditorem, eoque & primum omnis Hiſtoriae fontem, negligit; mire tamen a Gentilium miſeris commentis corrupta eſt; posſet autem vocitari *Diuina.*

xIV.

Pars hominum ſpeciatim, ortus, multiplicationis, diſperſionis, ortaeque inde, qua indolem, corpus, linguas, ſtudia, diverſitatis tradere Hiſtoriam, & *Humana* nominari posſet.

xV.

Pars globi terraquei deſcriptioni vacat, ac *Geographica* & *Hydrographica* dicitur.

xVI.

Quae conditarum vero rerum reliquarum totiusque iſtarum Syſtematis phaenomena, vires, adfectiones, ef-

fectus rationesque, vsu, sensuue, ac ratione animaduertendas, colligit ex instituto, explicatque, speciali nomine ac sensu *Naturalis* vulgo adpellitatur.

xVIII.

Scite illa in *Narratiuam* atque *Inductiuam*, haecque in Historiam *Generationum*, *Praetergenerationum* ac *Mutationum per artem* dispescitur.

xIX.

Vtriusque specimina egregia & antiquitas, & nostra curiosior limatiorque aetas copiosis, iisque auro contra carioribus, lectuque iucundissimis, voluminibus dedit, quorum historia perutilis est.

xx.

Quae scientiarum, eruditionis circulum absoluentium, atque ab quibus peculiari sensu ac titulo eruditi quidam celebrantur, indolem, origines, media, habi-

habitum ac nexum inter ſe, fines, fata, incrementa, decrementa, impedimenta, commoda & incommoda, Patronos, hoſtes, Promotores, horumque ſingularia, ſententias ac inuenta, ſocietates, ampliores & arctiores, ordines, inſtituta ac ſubſidia, aliaque iſthuc ſpectantia, exponit, *Litteraria* audit, magnis noſtra inprimis aetate & aucta acceſsionibus & culta eximie viris.

XXI.

Quae artium, liberalium & ſellulariarum, artificiorum, opificiorum, artificum & opificum, inuenta, methodos, inſtrumenta, commoditates & incommoditates, inſtituta, vtilitates & abuſus, in vita ciuili, pacis bellique tempore, & communi, apud vniuerſos & ſingulos, commerciorum item, ac rei militaris, naualis ſpeciatim, rationes explicat, *Artificialis* nomine venit

nit, ſui tot avide exſpectans cultores, quotquot paſſim expetitur celebraturque commendatoribus.

XXII.

Quae farraginem ex iſtis omnibus, nulla connexionis inter argumenta habita ratione, miſcet, vnoue faſce colligat, virorum magnorum, grauium & doctorum, ſuccincta de rebus perſonisque variis iudicia, argutas comparationes, animaduerſionesque, ac alia iocose atque acute pronunciata; breues obſeruationes morales, politicas, phyſicas, hiſtoricas, criticas, in vnum fundit, salutatur vulgo *Miſcellanea*;

XXIII.

Cuius ſpecimina & fontes, vt antiqua veteris & medii aeui taceamus monumenta, praebent inprimis Lutheri Mensalia, Scaligeriana, Perroniana, Thuanea, Colomeſiana, Sel-

denia-

deniana, Menagiana, Valefiana, Sorberiana, Cheureana, Ancilloniana, St. Euremoniana, Naudeana, Patiniana, Taubmanniana, Conringiana, aliaque eiusdem generis Ana. fcripta, & Mifcellae Hiftoriolae, paffim teri folitae.

XXIII.

Hiftoria *actionum*, quae inprimis noftram exercebit induftriam, eft fcientia feu Notitia folida praeteritorum, omnium vfui adcommodata;

XXIV.

Siue iufta commemoratio omnium memorabilium noftra maiorumue noftrorum aetate, in toga fagoque, in Republica facra & ciuili, vel circa illam vere geftorum, ex genuinis fontibus prudenter haufta, decenterque facta, memoriae rerum, formandisque pie, prudenter, bene atque beate

 viven-

viuendi agendique praeceptis, adprime inſeruiens.

xxV.

Licet hinc colligere, quae de materia & fine, de diuiſionibus & differentiis, de fontibus & fide hiſtoriarum, quae heic iam in cenſum veniunt, hiſtoricorumque officiis, virtutibus & vitiis obſeruanda ſunt.

xxVI.

Scientiam nunc ſeu notitiam, nunc commemorationem, nunc narrationem, certo conſilio vocamus Hiſtoriam.

xxVII.

Actiones vero huc pertinere putamus Dei, Hominum, ac, de quibus luculenter conſtat, Spirituum.

xxVIII.

Hiſtorici, qui υπυργοι της Θειας πρoνοιας, ſeu diuinae prouidentiæ ſcribae audiunt, boni-

bonitatis, ſapientiae, iuſtitiae & potentiae diuinae monumenta vbique ſtatuant.

XXIX.

Geſta hominum quod ſpectat, μνημης ἀξια, ἀξιομνημονευτα, ἀξιολογα, ἀξιοφηγητα, veteres recenſeri voluerunt;

XXX.

Scilicet, quae pietatis, quae prudentiae cuiusuis, publicae & priuatae, Rectoriae, Legislatoriae, Iudicialis, Militaris, Mercatoriae, Oeconomicae documenta ſubminiſtrare apta nata ſint.

XXXI.

Sapientem vbique delectum fieri cupimus.

XXXII.

PLVTARCHI nempe praeceptum, non ex iis, quae ad manum ſunt, ac domi & in triuio reperiuntur, ſua depromenda

da hiſtorico, vocemque AMMIANI MARCELLINI, hiſtoriam non humilium indagare cauſſarum minutias, adſerentis, probamus, ſed & DAMIS regulam: etiam ea, quae de menſis Deorum decidant, colligi oportere, ne ambroſiae illius pereat quidquam.

XXXIII.

Sed nec cum DIONYSIO HALICARNASSENSI facimus, qui primum Hiſtorici officium putat: materiam eligere pulcram & quae animos legentium audientiumue perfundat;

XXXIV.

Pollicem potius prementes LUCIANO, το χρήσιμον magis, ſeu vtilitatem, quam το τερπνον, ſeu iucundum, reſpiciendum eſſe, ſtatuenti.

XXXV.

Vti vtilisſimum quodque, ita quoque iucundisſimum ſapienti.

XXXV.

XXXVI.

Praeterita autem narrat Hiſtoria;

XXXVII.

Sed ea pariter, quae noſtra aetate accidunt, atque illa, quae a noſtro aeuo remota;

XXXVIII.

Vere tamen geſta omnia.

XXXIX.

Abutuntur enim Hiſtoriae vocabulo, qui fabulares Hiſtorias, qui Myſthiſtorias crepant, quarum patriarcha, inſignis nugator, Homerus, plus myſteriorum accipit ab ſui cultoribus, quam ex proprio diſpenſat ſinu ac penu.

XL.

Decenti modo etiam, ordine ac dicendi genere narret Hiſtoricus, poſtulamus.

XLI.

Locis, temporibus, perſonis omnia conveniant; quae ad conſilia, cauſſas, ſiue veras ſiue fictas, media & euentus ſpectant; dictionis item perſpicuitas, puritas, ornatus & decorum obſeruentur.

XLII.

Iſta vero omnia, quum faciat Hiſtoricus, vt memoriam geſtorum conſeruet, ex quibus praecepta pietatis & prudentiae generalia formentur, quibus ad bene beateque viuendum inſtructiores felicioresque fiamus: Finis Hiſtoriae internus & proxumus, externus & remotior, atque vltimus, nec non incredibilis in omni vitae genere ac parte vtilitas, diſpaleſcit.

XLIII.

Immo ex dictis nullo negotio non tantum diſcitur, quid intercedat diſcrimini

minis inter Hiſtoriam atque inter Memorias ſeu Commentarios Hiſtoricos, Annales, Chronica, Faſtos, Ephemerides, Menologia, Centurias, Decades, Semeſtria, Nouellas, Biologias, Fabulas Romanenſes, &c. ſed & diuiſiones Hiſtoriae nouae ultro patent.

XLIV.

Scilicet, quae vel circa Eccleſiam, vel in Eccleſia geſta enarrat, *Sacra* vocatur, duosque iterum in ramos abit.

XLV.

Si ex Veteris & Noui Inſtrumentorum pandectis edisſerat omnia, quaecumque Deus T. O. M. ſuae gloriae amplificandae cauſſa & in hominum omnium ſalutem egit, *Diuina* meretur dici, atque comprehendit Hiſtoriam Oeconomiarum diuinarum, ante lapſum, poſt lapſum, ſub Patriarchis, ſub

ſub Lege, ac poſt Legem, nec non iudiciorum diuinorum, quae vocant, circa homines ſingulos, ſocietates minores, maiores, regna & imperia horumque conuerſiones;

XLVI.

Sin vero exponat, quae homines in Eccleſia, circa religionem, eamque veram & falſam, circa varios ritus & leges, vel priuatim, vel publicis in conuentibus, egerunt, ſtatueruntque, ac illorum cauſſa paſſi ſunt, quibusque iſta conuerſionibus praebuerint occaſionem, *Humanae* ſeu *Eccleſiaſticae* nomen induit; atque iterum vel *Veteris* vel *Noui* Inſtrumenti eſt, minoresque de nouo ſectiones plures, vel ab rebus ipſis, inſignioribusque mutationibus, vel temporum periodis petitas, admittit.

XLVII.

Quae vero actiones, ſtatum ciuilem ſeu Rempublicam, pacis bellique tempo-

temporibus, ſpectantes, ad eiusque compagem firmandam tuendamque ſuſceptas, exponit, *Ciuilis* vocitatur, eſtque.

XLVIII.

Vel *Rudis* atque *Incoata*, qualem Memoriae, ſingularium factorum qualemcumque conſignationem ſeu de certis negotiis & perſonis in priuatos uſus conſcriptas obſeruationes complexae exhibent, vel *Iuſta* & *Perfecta*, quae res virorum inſignium iuſta ſerie, decenti ſtilo, obſeruatis rerum principiis, occaſionibus, causſisque ac euentibus conſiliorum, notatis perſonarum characteribus, virtutibus & vitiis, locorum & temporum opportunitatibus, mediorum rationibus, ex ſinceris fontibus adhibitisque adminiculis commodis, pro eo ac par eſt, commemorat.

XLIX.

Utraque autem, Sacra pariter atque Ciuilis, immo reliqua hiſtoriarum genera, alias quoque ex variis cauſſis patiuntur diuiſiones, v. g. in *Uniuerſalem,* eamque rurſus *abſolute*, vel *certa ratione* talem, in *Particularem* & *Singularem*; in *Antiquam*, *Mediam* & *Nouam*, aliasque plures, quae pro diuerſis inſtitutis diuerſas iterum periodos & ſubſectiones admittunt.

L.

Genuini *Fontes*, ex quibus profluere Hiſtoria debet, ſunt: *Experientia propria*, qua florent, qui oculis vſurparunt, qui auribus perceperunt, quae ſcribunt, vel qui geſtae rei pars fuerunt, & gloriari cum *POLYBIO* queunt: quod non ſpectatores modo plerorumque, ſed adiutores, & auctores, adminiſtratoresque, exſtiterint.

LI.

Experientia aliena, ſeu fides & monumenta Scriptorum, vel aequalium, vel aliorum, de quibus conſtat, nec voluntatem nec facultatem cognoſcendi ac ſcribendi vera ipſis defuiſſe:

LII.

Chartae publicae & publicorum negotiorum inſtrumenta, ex Tabulariis ſeu Archiuis vel conquirenda, vel, quae noſtrae aetatis felicitas eſt, iam vulgata:

LIII.

Diplomata ſpeciatim, ſeu Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum litterare, certis formulis conceptae ſignisque munitae, priuilegiorum beneficiorumue collatorum teſtes; ſubacto iudicio & lectae & examinatae miram hiſtoriis quibusuis lucem adfundentes.

LIV.

Quibus accedant inſeruiantq; egregia atque oppido neceſſaria *ſubſidia*, ex

nologia, Geographia, Genealogia, Heraldica, Numismatica, notitia Sigillorum, Inſcriptionum & Picturarum: in quibus hoſpes eſſe nequit, & qui condere recte, & qui probare ſolide, & qui examinare prudenter atque legere fructuoſe hiſtorias cupit.

LV.

Sed hinc quoque patet, de *Veritate*, &, qua haec nititur, de *Fide* hiſtorica, quid ſentiendum ſit; quam qui proſcribere auſit omnem, dignus, qui proſcribatur, declarandus: quippe qui & Religionis & Reipublicae fundamenta concutiat, euerſumque eat omnia.

LVI.

Proſtant Hiſtoriae, indignae quidem illae nomine iſto, quae nullam prorſus, ſaltim in paucis merentur fidem, quae confictae, quae omnino falſae ſunt; quarum auctores ad *Ephori* iſtius

iſtius *Annaeani*, vel *Petri de Marteau*, eiusque heredum, familiam pertinent, quibus non magna molitione detrahenda eſt auctoritas;

LVII.

Sed in pietatem, in prudentiam, in ſocietates omnes, in te ipſum iniurius ſis, oportet, ſi ea claſſe cenſueris in vniuerſum omnes.

LVIII.

Nec veris detrahit, eſſe quoque falſas.

LIX.

Haeres anceps, quae his, quae iſtis accenſendae? vereor, vt culpa in hiſtoriis magis, quam te ipſo inuenienda ſit?

LX.

Qui perſpicacia mentis, iudicandi facultate, atque res quasvis facile internoſcendi dexteritate non vulgari pollet, ac voluntatis integritate ac ſerenitate floret;

LXI.

Qui elegantioribus litteris probe imbutus, Moralis & Politicae doctrinae praeceptis inprimis haut leuiter tinctus est;

LXII.

Qui diligens omnium Scrutator & indefessus indagator est;

LXIII.

Quem non piget cuiuslibet scriptoris explorare characterem, quis fuerit? quam doctus, quam prudens, quam diligens ac a partium studio alienus? Num aliqua Reipublicae administrandae pars ad eum pertinuerit, anue Ecclesiae docendae vel regendae munus obierit, quae sectatus sacra fuerit? Ubi egerit? praesens ne rei, ac personae, qua descripsit, fuerit; quando scripserit? quo animo aduersus rem, vel personam adfectus fuerit, de qua scripsit; Eiusne interfuerit, rem ita, vel

secus

ſecus fuiſſe geſtam? nocere ne, an prodeſſe ipſi potuerit is, de quo ſcripſit? Scire vera num potuerit, & voluerit? quibus ſubſidiis uſus, fontibus, documentis, teſtibus, quo genere dicendi ac ſchemate? omnesne, an quosdam tantum, vel conſentientes vel diſſentientes habuerit, & qui iſti, utrum eiusdem, an diuerſae factionis & ciuitatis fuerint? & quae ſunt generis eiusdem;

LXIV.

Quem non taedet, eorum quoque, de quibus narratur aliquid indolem, natales, parentes, magiſtros, educationem, conſuetudinem cum aliis, corporis, animique habitum, ſtudiorum rationes, propenſiones, vitae genus, agendi vel praecipitanter, vel conſiderate, vel cunctanter, modum, vitia & virtutes, prudentiam & imprudentiam, &c. explorate cognoſcere;

LXV.

LXV.

Qui nihil facit reliqui, vt res ipſas, quae commemorantur, earumque cir. cumſtantias omnes penitus intelligat, curateque expendat, num per animi corporisque vires in eum cadant, cui adſcribuntur? num eo fieri tempore potuerint, quo contigiſſe dicuntur? Quae ſub idem tempus, vel ibidem, vel alibi locorum, vel ante vel poſt facta ſint, ac vel impedire illa, vel promouere potuerint? vtrum vno, an pluribus, ac quibus illa teſtibus prodita ſint?

LXVI.

Hac mente mactus, haec ſingula ea, qua par eſt, adtentione in hiſtoriarum lectione ac examine penſi habens, non poterit non peruidere, quid cuique hiſtoriae ſit tribuendum.

LXVII.

Supra morosisſimos Scepticos incredulus ſit, atque voluntate potius,

quam

quam intellectu, vel certe vtroque laboret, necessum est, quisquis in dubium non dubitet vocare historiam, quam idonei testes referunt, quos nullum studium partium reddit suspectos, qui scire rerum seriem potuerunt, qui conspirare in mendacium vel nequiuerunt plane, vel conspirasse conuinci non valent, qui diuersis locis, diuersis temporibus vixerunt, diuersis partibus addicti fuerunt, qui nulla spe, nullo amore, periculo nullo, nullo odio ducti scripserunt, qui latuerunt, sua etiam, dum hominum inter fuerunt rebus, dias in luminis auras prodire passi non sunt; quam nec Diplomatum fides, nec Archiuorum documenta, nec Geographia, nec Genealogia, nec Temporum, nec Annorum, nec Sigillorum, nec aliorum antiquitatis monumentorum rationes dubiam faciunt, falsamue.

LXVIII.

Faceſſant igitur ac indigni habeantur fide, fidei humanae omnis hoſtes, GUEUARAE, MORINI, HARDUINI ac reliqui eiusdem furfuris fraudum inauditarum architecti, BAELIO & VOSSIO, aliisque memorati.

LXIX.

Ceterum prudentem moderatumque Pyrrhonismum Hiſtoricum, circa factorum rationes inprimis, minime improbamus.

LXX.

Inter *virtutes Hiſtoricorum* familiam ducunt, pietas, ſedulitas, incorruptum veritatis ſtudium, prudentia & eloquentia.

LXXI.

Ex quibus eluceſcunt, vel indicentibus nobis, praecipua eorum *vitia*, qua claſſe censemus, impietatem, leuitatem, oſcitantiam, ruditatem, ſcenae hypothe-

thesique ac partibus inseruiendi studium, odium, metum, ambitionem, & id genus alia.

LXXII.

Qui audire cum fructu & legere gestiunt historias, exacto iudicio, quod speciatim Historicum voces, emendataque voluntate floreant, necessum est.



PERIODUS PRIMA

Historiae Imperatorum, à Carolo M. ad Henrici Aucupis obitum, imprimis Franco-Carolingorum.

SECTIO I.

De *Francis* atque *Originibus Caroli M.* Francicis.

I.

REm faciunt non vno nomine longe vtilissimam, qui veterum Francorum Historiam curatius excutiunt,

resque decantatisſimae gentis ſollicitius inueſtigant.

II.

Sed grauem moleſtamque operam ſuſcipiunt, qui fricandae iſti ariſtae adcommodant lacertos.

III.

Siue enim de nomine gentis, nominis ortu, ſignificatu & occaſione, ſive de gentis originibus, ſedibus, regibus compellaueris Scriptores, quorum audienda heic vox eſt, atque vtramque facit paginam auctoritas; dubii multum, certi autem, niſi pertinaci contendas opera, parum ex pugnantibus ſibi contradicentium verbis, vel ſaltim fluctuantium aut tacentium, paginis referre licebit.

IV.

Delibare tamen pauca lubet, de ſcriptoribus, de indole gentis, de nomine, huiusque origine prima, ſenſu & oc-

caſione,

casione, de gentis ortu, fatis sub imperatoribus ad A. 1418. sedibus, populis, regimine, regibus & Maioribus domus ad *Pipinum* vsque.

V.

Adeundi autem a Francorum historiae conditoribus AURELIUS VICTOR, EUTROPIUS, AMMIANUS MARCELLINUS, VOPISCUS, ZOSIMUS, PROCOPIUS, AGATHIAS, LIBANIUS, HIERONYMUS, CLAUDIANUS, AUSONIUS, GREGORIUS TURONENSIS, SIDONIUS APPOLLINARIS, &, qui his vsi sunt, TILIUS, VALESIUS, HERMANNUS COMES NUENARIUS, CLUUERIUS, PONTANUS, aliique a *Joh. Nicolao Hertio*, in Notitia Regni Francorum veteris, *Andrea du Chesne* in Bibliotheca Chronologica ab originibus Regni Francici ad sua usque tempora, *Andrea* & *Francisco du Chesniis*, in V. Tomis Historiae Francorum Scriptorum, *Marquardo Frebero*, in corpore Hist. Francicae, *Hermanno Dieterico Meibomio*, in Dissertatione de Gallicae Historiae Pe-

 riodis

riodis & Scriptoribus, *Illustrissimo Monumentorum Paderbornensium Auctore*, *Francisco Hottomanno*, in Franco-Gallia & *Henrico Coccejo*, in Juris Publ. Prudentia, aliisque pluribus, nominati.

VI.

Cavendum autem sibi hac in historia putent, monente B. NEUIO, rerum gestarum Scrutatores ab HUNNIBALDO, siue *Theodosii*, siue *Iustini* iunioris, siue *Clodovaei* aequali: ferrei quippe oris, plumbei cordis, impudente, nec tressis Scriptore, quo nihil ineptius stultiusque, scribente VOSSIO, fabuloso & supposititio, dicentibus HERM. COM. DE NUENARIO, & HADRIANO IUNIO; immo quantus quantus est, a *Trithemio* confícto, iudicante LEIBNITIO, non historico, sed Mythariographo adserente NICOL. SERARIO, cui nemo, praeter *Trithemium*, *Dionysium Gothofredum* & *Dilenium*, (forte & *Crusium* nostratem) tribuit fidem

dem, probante IOANNE SCHILTERO, adeoque inter doctos impostores merito referendo, censente STRUUIO.

VII.

Nemo vero luculentius Francos descripsit famosissimo IV. Seculi Sophista, LIBANIO, a numero immenso, animi corporisque robore, laborum tolerantia, mauortio genio, insigni in armis tractandis dexteritate atque constantia istos depingente.

VIII.

Quorsum & SALICAE LEGIS PROLOGUS facit, quo Gens Francorum fortis dicitur in armis, profunda in consilio, corpore nobilis & incolumis, candore & forma egregia, audax, velox, aspera, & robore valida, quae durissimum Romanorum iugum de suis ceruicibus excussit pugnando.

IX.

IX.

Ut vero & alii nandi dexteritatem, nauticae aliarumque rerum peritiam, immanem corporum proceritatem, aliaque in iſtis collaudant: ita quoque ſunt, qui foedisſimas turpisſimorum vitiorum notas ipſis inurunt.

X.

Ceterum Gens Francorum vetuſta eſt; nomen recentius, recte pronunciante FRANCISCO GUILLIMANNO.

XI.

Quum *Iulius Caeſar*, qui trans-rhenanam (cum Romanis loquimur) Germaniae oram primus aperuisſe ſuis celebratur, nec nouerit, nec nominauerit Francos vſpiam, nec Frangones, ſeu Fangones potius, Franci ſint: mirifice falluntur, qui CICERONIS aeuo percrebuisſe nomen Francorum opinantur.

XII.

xII.

Nec JOSEPHI GORIONIDIS tanti apud nos eſt auctoritas, vt ridiculae ſententiae quidquam tribuamus.

xIII.

Aeuum STRABONIS quoque neſciuit Francorum nomen.

xIV.

Nec ante Chriſtum natum 30, & quod excurrit, annis rex *Francio* Francico nomini originem iam dedit; vel in Marsico Bello, dux *Francus*.

xV.

Sed nec ſub medium demum ſeculum a nato Chriſto tertium auditum Francorum nomen esſe, famosisſimi CHRONICI ALEXANDRINI auctoritas nobis persuadet.

xVI.

Quum FLAUIO VOPISCO, Syracusio, auctore, ſub *Aureliano*, eoque nondum Conſule, nec tum Caeſare tantum ab-

eſt Imperatore, ſed legionis ſextae Gallicanae apud Maguntiacum tribuno, primum, adeoque vel ante, vel ſaltim continuo poſt trigeſimumtertii a nato Chriſto ſeculi annum, auditam Francorum vocem eſse, conſtet.

xVII.

Gallieno Imperatore ſua Romanorum armis oppoſuere, in Decennalibus *Gallieni* inter ſimulatas gentes locum nacti, direpta Gallia, in Hiſpaniam & Africam nauigiis dilapſi.

xVIII.

Probo quidem adclamatum, Tu Francicus, Tu Gothicus, Tu Sarmaticus, Tu Parthicus, Tu omnia! eo tamen, & poſtea *Diocletiano*, *Maximianoque*, Imperatoribus, piratica celebre nomen, immo deſciſcente ab Romanis *Carauſio*, Batauiam aliasque circa Rhenum terras nacti videntur, in leges quoque Romanorum recepti.

xIx,

xIx.

A *Constantio Chloro* in Britannia pariter atque Batauia male habiti, fusi, capti, in desertas Galliae regiones abducti sunt: vt pacem Romani imperii cultu iuuarent, & arma dilectu.

XX.

A *Constantino M.* reges quoque Francorum, *Alaricus* & *Regaisus*, in spectaculis obiecti feris, atque ferocissima gens in ipsis Hispaniarum oris repressa dicitur, numis & Panegyricis testibus.

XXI.

Constans dubio marte cum Francis videtur pugnasse atque pacem tandem fecisse.

XXII.

Sub *Constantio* iuniore Germania inferior furorem ipsorum experta, sed facies rerum mutata est, *Claudio Iuliano*, fortissimo & callidissimo Caesare, semel atque iterum ipsos vincente atque ad deditionem adigente.

XXIII.

Valentiniano I. Gratiano, Theodosio I. & Honorio Imperatoribus, aliquoties turbas, sed & poenas & manus dederunt; Ab *Alanorum, Sueuorum & Vandalorum* (quos quidem victos antea etiam a Francis fuisse RENATUS PROFUTURUS FRIGERIDUS memorat) gentibus quoque ad incitas pene redacti.

XXIV.

Postea tamen, federe cum *Iouino* aduersus *Honorium* atque Treuerensi expeditione llda iterum inclaruerunt, ac paullo post victricibus armis terrori omnibus fuerunt.

XXV.

Vnde vero Francici nominis ratio petenda sit? nondum conuenit eruditos inter, harumque curiosos rerum viros,

XXVI.

Neu fidem decoxisset, quem atro iam notauimus calculo, HUNIBALDUS, facili heic

heic opera nos expediremus, atque Francos nomen ſuum a *Franco*, ſeu *Francione*, qui populum Francorum ex Sarmatia in Germaniam translatum, poſt reges Sicambros, 38. circiter annis ante natum Chriſtum rexiſſe fertur, traxiſſe contenderemus.

XXVII.

Sed ex ſinceris canae antiquitatis tabulis, minime *Annii* cuiuspiam, vel & TRITHEMII, AIMOINI, GAGUINI, CRUSIIUE auctoritatibus agere mecum debent, qui, vt *Francionem* iſtum deosculer, cupiunt.

XXVIII.

Neque putauerim, Francos a corrupta voce graeca, quaſi φραγκῖυς dictos: quis enim, vt alia taceam, Germanicae gentis globum a Graecis repetiiſſe nomen, credat?

XXIX.

Francos antea *Troianos*, poſt *Ante-*

noridas tum *Sicambros* adpellitatos, *Valentinianum* a ferocia vocitasse, fabulosis nititur commentis.

XXX.

Nupera DOCTISSIMI VIRI sententia, qua ex antiqua voce, piratam, eiectum, exsulem, latronem notánte átque *Cimbris* imposita, warge vnde wrage, wrace, wraece, vraece, (frech) inde Frace, atque tandem Franke, Francus deducitur, erudita atque ingeniosa est;

XXXI.

Sed vereor, ne vel contendant alii, vim vocibus inferri, dura quaedam, atque in certum esse, an alterum *Cimbrorum* nomen, quod nec PLUTARCHUS indicet, statim Wargorum sit; vel negent, sequi: septemtrionalibus in oris latrones Wragi adpellati sunt: ergo gentis nomen illud euasit: vel quaerant: vbi Franci ante iam patrium habuerint solum, vt, quum in vltimo Cimbriae

reces-

ceſſu haererent, cadere eiectorum in ipſos, atque exſulum potuerit nomen?

XXXII.

Sed nec opus eſt, longe petita heic ſectari: quum Germanicae gentis nomen omnium optume ac facillime a voce Germanica Franck/ liberum ſignante, repetatur:

XXXIII.

Sponte ita omnia fluunt, ſignum rei ſignatae competit: adpetentisſimos libertatis, ſtudioſisſimosque, Francos ſemper fuiſſe, omni conclamante hiſtoria.

XXXIV.

Immo ſic quoque occaſio adſumti vel impoſiti nominis panditur.

XXXV.

Quum nimirum *Germaniae Magnae* populis, libertatis vti amantisſimis, ita a communibus publicarum rerum formis perdite abhorrentibus, ſeparatae ſingulorum rationes mirifice ſemper pla-

placuerint, vix paucorum inaequalibus, atque ad rei ſummam parum conferentibus, intercedentibus federibus;

XXXVI.

Inter haec vero diuiſae ita vires exterorum inſidiis, vi & corruptioni ita paterent, vt vel ad bella inteſtina, eaque internecina, accenderentur, invincibiles alias populi, vel nonnulli ad vniuerſae gentis hoſtes concederent, vel plane ſubiugarentur nonnulli:

XXXVII.

Cladium & periculorum ſenſus tandem ad omnes ita penetrauit, accedente apud nonnullos lautioris in alieno ſolo fortunae ſpe, vt ſocietates hactenus diſperſae arctioribus federibus coirent, pluribus deinceps eodem nomine gauiſuris, communique conſilio & ſcopo omnia acturis.

XXXVIII.

XXXVIII.

Exemplum aliis primum praeiuisse videntur, collecti, inclinante secundo seculo, sub *Antoninis* atque a *Caracalla* sub nouo in litteris Romanis nomine victi, *Alamanni*, (vt EUTROPIUS, AMMIANUS & VICTOR semper fere scribunt,) seu *Alambani* (vt DIO) *Alemani* seu *Allemanni*, (vti vulgo) h. e. ex variis Germaniae populis conuenae.

XXXIX.

Haud admodum multo post alia insignis variorum in Germania populorum multitudo, diuersis antea nominibus distincta, contribulium, *Allemannorum*, immo ipsorum olim *Romanorum*, exemplis excitata, variis occasionibus subinde aucta, alieni iugi atque irruptionum impatiens, melioresque sedes anhelans, inclinantibus Romanorum rebus, sub ignauis & voluptuosis imperatoribus, antiquum imperium ex-

cutiendi, neque vllum aliud posthac admittendi, cepit consilium, neque voto suo excidit ferreus ferocium hominum globus, obfirmato prorsus animo pericula & quosuis casus excipiens, atque omnia vbique perrumpens, ipsamque in Galliam traiiciens, istudque regnum sibi subiiciens: ita vero *Francorum*, omnium imperiis solutorum, eum quidem non gentis hactenus, sed studii & consilii, vel imponens sibi ipse, vel ab aliis accipiens titulum, tuensque.

XL.

Quae autem bellica primum fuit, in ciuilem postea eualuit, societas.

XLI.

Interim origo Francorum Germanica & trans-Rhenana ex dictis quoque elucescit.

XLII.

Fabulas & inania somnia orbi erudito

dito obtruſerunt, qui *Francos*, Troia pulſos, ad Maeotidem Paludem, mox in Danubium & Pannoniam, Sicambriae ibi auctores, nauibus veniſſe, inde a *Valentiniano* euocatos Romanis contra *Alanos* militaſſe, tandem in Germaniam, Galliasque penetraſſe; partem etiam in Macedonia *Alexandri M.* ſigna ſequutam.

XLIII.

Quae quam male cohaereant, & abſurdiſſima ſententiarum monſtra alant, in aprico eſt.

XLIV.

Interim videtur iſtis fabulis anſam potius praebuiſſe Francicae illius manus, VOPISCO auctore, ſub *Probo* per Graeciam, Aſiam & Oceanum nauigatio, difficilisque poſt longos errores in patriam reditus, quam nominum *Priami* & *Pharamundi* adfinitas.

XLV.

Sed fumos quoque vendunt doctiſ-

ſimi cetera Galli, qui ex Gallicis in Germania Coloniis *Francos*, atque ita ex regione quidem, non tamen gente Germanica oriundos eſſe, crepant, inepte faſtidientes Germanicas gentis ſuae origines.

XLVI.

Vti enim teſtibus ſententia iſthaec idoneis deſtituitur, omnisque aeui ſcriptoribus contradicit potius, atque dubiis premitur grauibus: ita ab ſapientisſimis Gallis, immo ipſis Galliae regibus quibusdam, reiecta olim iam fuit.

XLVII.

Sedes Francis in *Germania Barbarica* antiquisſimas inter Albim & Mare Balthicum, deinde Albim inter ac Viſurgim, demum Viſurgim & Rhenum inter, vnde transmisſo Rheno, in Romanas regiones progresſi ſint atque victis *Allemannis*, *Burgundionibus* & *Wiſigothis*, florentis-

rentissimum regnum in Gallia & Germaniae parte condiderint, adsignauit LEIBNITIUS, GEOGRAPHI *Anonymi*, RAUENNATIS, ERMOLDI NIGELLI, Franci veterum a palude Maeotide Francos arcessentium, PROLOGI item LEGIS SALICAE, nec non ROMANAE HISTORIAE SCRIPTORUM testimoniis nixus.

XLVIII.

CL. V. IO. GEORG. ECCARDUS primas Francorum sedes describit inter Eidoram & Warnam, in maxumae septemtrionali Cimbricae Chersonesi recessu, *Mauringiam*, quam GEOGRAPHUS RAUENNAS maiores *Francorum* incoluisse refert, vocans regionem moris, siue paludibus plenam, eoque nomine intelligens, *Wagriam* & vicinas prouincias cum Lunaeburgicis & Meklenburgicis terris, Mauringiae titulum moris, lacubus & paludibus suis merentibus; Secun-

das vero ſedes Francorum ab Albi ad Salam Franconicum extendens.

XLIX.

LEIBNITIO doctisſima obiecerunt dubia MAGNI *noſtri aeui* VIRI, quae IPSE quidem, atque ECCARDUS, diluere aliquoties adgresſi ſunt.

L.

Nobis ſufficere heic poteſt, extra dubitationem poſitum esſe, ſincerum Germaniae populum adſeri, atque in Germania Barbarica collocari, à diſputantibus *Francos*.

LI.

De re omni autem ita videtur: tantam esſe ſcriptorum, ex quorum pendendum heic verbis eſt, magnam partem barbarorum obſcuritatem, tantam antiquorum nominum corruptionem, tam variam eorumdem flexionem, tantam finium orbis veteris incertitudinem, toties repetitam mutationem

nem

nem, tam multiplicem veterum gentium palabundarum ſedium variationem, vt nullo negotio in id genus rebus dubia dubiis cumulari poſſint: ad viuum igitur reſecanda non eſſe omnia;

LII.

De cetero autem ſolidis probari argumentis poſſe: maritimum fuiſſe populum *Francos* primos, ex littorali tractu Germanici maris, ſeu inſula quadam effuſum, primum quidem ſua contentum ſorte, eoque minus celebratum;

LIII.

Proprio nomine ſuo ac facinoribus inclareſcentes Rhenum, Viſurgim & Albim inter, PEUTINGERIANA tabula ſedes ſignante, hoſpitatos eſſe;

LIV.

Initium exitus eorum ex primis ſedibus & ſuſceptae poſtea ad Rhenum vsque excurſionis, poſt medium ſecundi

cundi a nato Seruatore ſeculi vero ſimillime poni.

LV.

Excitis ſcilicet eo tempore ex intima Barbaria, Pannoniam verſus, ignotis antea populis, vel *Marcomannos, Quadosque*, ac reliquos (antea in propria ſaeuientes viſcera) populos adiuturis, vel cum Romanis, ſpe lucri, facturis, vel inter clades iſtorum meliores ſedes occupaturis: Primigenius globus eorum, quibus peculiare conſilium fedusque poſtea *Francorum* nomen peperit, ex latibulis videtur ſuis proſiluisſe, Albim Viſurgimque pro re nata traiecisſe, interiectis in regionibus, vel factis vel inuentis ſedibus vacuis, adcurrentibus diuerſarum nationum turmis, pilae niuis inſtar creuisſe, ac ſenſim ſenſimque vicinitate, robore ac facino-

ribus

ribus innotuisse, cunctis inter Albim, Visurgim & Rhenum haerentibus populis, cum quibus, lacessentibus subinde mutuis inuasionibus Germanis Romanos, Romanisque Germanos, vel saltim Germanis quibusdam amicitiam cum Romanis dubiam periculosamque existumantibus, in fedus tandem coaluerint bellicum, vim & seruitutem Romanorum penitus excussuri, cis-Rhenanasque, (Romanis) terras occupaturi.

LVI.

An de cetero aliquas? quot? & quas? ex primis sedibus progressi, fecerint stationes, non definimus.

LVII.

Vti & dictu difficile arbitramur, vtrum Albim primum transmiserint

G tan-

tantum, ac eum inter ac Visurgim aliquamdiu rursus substiterint?

LVIII.

Ac dein, Visurgi etiam superato, ab eo ad Rhenum vsque hospitati sint? donec trans-Rhenanas inuaserint terras?

LIX.

An, Albi semel post se relicto, inde ad Salam Franconicum vsque pertinuerint?

LX.

Vel primum statim occiduas magis sedes incoluerint in Ducatu Bremensi?

LXI.

Certe, ex quo coeperunt esse sui nominis, hisce fere omnibus in locis Fran-

Francicae veſtigia virtutis legere licet:

LXII.

Prout vero, nunc in hac regione luculentiora efflorefcentis fortunae gliscentisque potentiae monumenta ſtatuerunt, ſiue lacesſiti laceſsentesue, ſeu ſuperiores ſaepius vel inferiores ex commisſis ſubinde proeliis diſcesſerunt, nunc vero in alia: ita iam in hac, iam alia terrarum, quas ſemel inuaſerant, parte magis fuisſe dici posſunt, vel notantur.

LXIII.

Amplitudo autem finium Francicorum quam maxume colligi poteſt ex populorum, qui Francico federi acceſſerunt, ac nomine inclaruerunt, indice.

LXIV.

Singulorum dare heic rationes animus non eſt: nec enim inſtitutum id fert noſtrum; dabimus tamen nomina.

LXV.

Referimus eo Chaucos inprimis, Chamauos, Angriuarios, Cattos, Friſios, Bructeros, Sicambros vel Sygambros, Vſipios, Tencteros, Anſibarios, vel Amſiuarios & Salios:

LXVI.

Nulli quidem dubitantes, quin & alii ad fedus iſtud pertinuerint, qui vel obſcuriores, vel mature exſtincti fuerunt, vel in aliud nomen tranſierunt, vel, inualeſcentibus praecipue Saxonibus, in aliud fedus conceſſerunt.

LXVII.

Circumſcribebatur autem vetus Francia, Albi & Viſurgi ab Oriente, Rheno & Galliis ac Occidente, ab Septemtrione Oceano Germanico, Sueuia & Allemannia a Meridie.

LXVIII.

Speciatim tamen de *Saliis* ante, quam reliqua perſequamur, pauca heic adiicere lubet.

LXIX.

Vero non eſt ſimile, nomen iſtos ſuum ab ſaliendo, ſaltibus ac pedum velocitate, Romanis auctoribus, traxiſſe, qui illud, captis A. C. 358. a *Iuliano* Toxandrianis Francis primum adſperſerint, poſtquam obſeruasſent, esſe in Francis iſtis non tantum ex-

peditam tractandi arma dexteritatem, ſed eiusmodi etiam pedum velocitatem, ob quam Sacerdotes Romanorum certi vulgo Saliorum nomine inſignirentur.

LXX.

Neque ex AMMIANI MARCELLINI verbis, quae operoſe eam in rem nuperrimè interpretatus eſt doctisſimus vir, euinci id poteſt.

LXXI.

Quid? quod ex iisdem potius impugnari valeat ſententia, ab aliis quoque olim iam in ſcenam producta.

LXXII.

Propius abesſe a vero videntur, qui *Salios* ab Sala, amne, quem adcoluerint, adpellatos contendunt.

LXXIII.

LXXIII.

Tranſiit tandem ad omnes *Francos*, Gallis inprimis permixtos, *Saliorum* nomen:

LXXIV.

Vt Salicum eſſe, idem fuerit ac Francum eſſe: Salica lex, lex Francica;

LXXV.

Proprie tamen ad Ortiuos tantum, non Occiduos, vt loquitur IOANNES IACOBUS CHIFFLETIUS.

LXXVI.

Maxume primum innotuerunt circa Salam Franconicum.

LXXVII.

Poſtea Chaucis, Friſiis, Tubantibus forte & aliis auſti, ad Iſalam & extre-

extremas Weſtphaliae oras conſediſſe;

LXXVIII.

Pulſi ab Saxonibus inde, Batauiam, Romanis hactenus parentem, occupaſſe, ac, *Conſtantio* & *Iuliano* Imperatoribus, tenuiſſe videntur.

LXXIX.

Chamauis poſtmodum, Saxonum inſtinctu, Salios de nouo armis petentibus, inſigni beneuolentia *Iuliani* adducti horum multi ſunt, vt in Romanorum prouincias concederent, ac ſub Romanis militarent ſignis.

LXXX.

Ab Saliis *Salicae terrae* titulus eſt.

LXXXI.

Alia vero eſt *Salica terra* in Geographia, alia in iure.

LXXXII.

LXXXII.

Peculiaris de illa in Legibus Salicis Tit. LXII. L. 6. conſtitutio eſt: de terra Salica nulla in mulierem portio hereditatis tranſit, ſed hoc virilis ſexus adquirit.

LXXXIII.

Ubi *terra Salica* minime idem eſt, ac *Alode*;

LXXXIV.

Nec terra, hoſtibus deuictis, Regi militibusque ſorte addicta;

LXXXV.

Sed agri liberi ad Curtem Salicam Salici hominis ſpectantes:

LXXXVI.

Nimirum hominem in curte praecipuum, ſeu liberum, Salicum, eius

H domum,

domum, herilem Salam, agros ad hanc pertinentes, & bene meritis à Francorum regibus concesſos ſine ſeruitiis, Salicas terras adpellatas, arbitramur.

LXXXVII.

Medii illi fuerunt inter *Feuda* & *Allodia*: Seruitia militaria & fidem non impoſuerunt, vt Feuda; nec tamen adeo liberae diſpoſitioni patuerunt, vt Allodia:

LXXXVIII.

Sed beneficii loco habitum, ſi filiis relicti, nec regio ceſſerunt fisco; ad cuius probationem peculiari opus confirmatione fuit.

LXXXIX.

Quia de cetero inprimis reliquos inter Francos eminuerunt *Salii* ac, ſubiecta Francis Gallia, Franci, quibus commu-

communicatum Saliorum nomen, & ex iſtis, praecipue origine Salii, ad officia aulica admisſi ſunt: *Salica perſona*, aulicum, illuſtrem, regiae item cognationis hominem ſignificauit.

XC.

Inter Francos *Salios* nata eſt decantátisſima *Lex* illa *Salica*, á certis Francis Saliis, iisque praecipuae praecipuis in pagis auctoritatis, magnique rerum vſus, viris, conſentiente populo, in certas regulas, conſuetudinibus & genio Saliorum, Francorumue, conuenientes, vtcumque redacta, inter Salios recepta, ab regibus dein quoque Francis, ſacra Chriſtianorum amplexis, varie aucta & emendata.

XCI.

Anilibus nugis ludunt, qui nomen legis ex voculis, quae pleraque incoant capitula, *ſi aliquis, ſi aliqua,* deriuant.

XCII.

Inepte vero ambitiosi sunt, qui corruptam scriptionem caussantur, *Gallicam*, non Salicam, legendum adfirmantes.

XCIII.

Nec salis multum habet deriuatio ab *Sale*, symbolo prudentiae.

XCIV.

Nec ab *Sala*, seu Palatio, dictam putamus.

XCV.

Propius ad rem eorum accedit sententia, qui *Salogastum*, primas tenentem inter eos, qui praecipuarum prouinciarum nomine condendae legi Salicae operam nauarunt, legi ipsi reliquisse nomen, opinantur:

XCVI.

Sed, quum *Salogasti* nomen, non personam, sed prouinciae *Salagheue* designet

gnet rectorem, rectius a gente, cui lata, ab quibus rogata, ab quibus obseruata lex est, eius duci censemus nomen: vt *Saliis* ab *Saliis* data, *Salica* dicta sit: quod nec, qui emendarunt, vel auxerunt eam, mutarunt nomen.

XCVII.

Non quidem contenderim, vt cusa & exclusa lex fuit, statim id nominis ab quoquam ipsi impositum;

XCVIII.

Existumauerim potius, diu frequentatam vsu eam fuisse ante, quam certo titulo in vulgus nominatam.

XCIX.

Coniectamur, vixisse istius ex formula *Salios* primum; hos interea, variis licet insultibus vexatos, viribus, viris,

exiſtumatione creuiſſe; qui eamdem in gentem cum ipſis coaluerint, earumdem legum praeſcriptum ſequi cum iis debuiſſe; ac, poſtquam plerique omnes Franci in Salicum tranſierint nomen, Saliorum quoque legem in vnicam omnium federis reliquiarum viuendi regulam eſſe translatam, atque tum, ad ſeruandam originis memoriam, a Saliis Salicam adpellitatam; disſipata inter haec ſocietate ac euaneſcente nomine reliquorum, quos condendae legis cura olim iuxta Salios coxerat, pagorum.

C.

A *Chlodouco*, ad Salios genus referente, eodemque legis reſtauratore, Salicam primum dictam, adſerere non auſim.

Quod

cI.

Quod ante *Childericum* habuit nomen?

cII.

Aſt de ipſius quoque legis epocha incerti fluctuant, qui, quo tempore illa lata ſit? inquirunt.

cIII.

Omnium minime audiendi, qui Francos, ex Salicis Legibus viuere adſueſcentes, trans Rhenum (in Germania ſcribimus) in Belgica, in Tungrorum & Attuaticorum, circa Moſam, Scaldim & vicinos amnes, regione degisſe, ſtatuunt.

cIV.

Nec ad reddendam nominis rationem opus eſt, ad Iſalam, ſeu Iſellam con-

confugere, atque ibi Legis Salicae cunas quaerere.

CV.

Speciosior HADRIANI VALESII est sententia, qui, non sine rationum adparatu, adstruere laborat, *Chlodoueum*, regni rebus antea probe firmatis, condidisse demum Legem Salicam: nec existumat, quum Burgundiones, Vesigothi, Ostrogothi & Longobardi non prius leges scriptas habuerint, quam hi in Gallia, illi in Italia consedissent: legem Salicam in Germania Francis fuisse descriptam: quae vtique, *Pharamundo* regnante, Germanicis conscribi litteris & ab subsequentibus, post occupatam Galliam, lingua latina verti debuisset; cuius conuersionis mentionem tamen faciat nemo.

CVI.

CVI.

Sed breuiter VALESIO. eiusque argumentis, quae repetere ſingula heic non licet, obuertimus: iſta Rectorum Francicorum nomina, Wiſogaſt, Bodogaſt, Salogaſt & Windogaſt, non perſonarum, ſed prouinciarum eſſe, terminationemque illorum, vel Francici characterem idiomatis, vel ex ga, gau, & ist conflatam, ſuique adeo rationem habere luculentam, & repeti omnino debuiſſe, vbi Dux, Comes, ſeu Rector prouinciae fuit nominandus.

CVII.

Scriptorum conſenſus, & ipſius Prologi Pacti Salici concepta verba, *Chlodoueum*, Legum iſtarum auctorem, non admittunt.

CVIII.

Nulli dubitamus, latina, barbara quidem ea & ſtrigoſa, lingua in ſolo Germanico exaratas primum ab Saliis, multum iam cum Romanis verſatis, forte ab ſacri ordinis hominibus etiam adductis, LL. Salicas, atque patria lingua, quae litteras neſciuit tum, in Mallobergis a Comitibus ſeu Centenariis, explanatas fuiſſe.

CIX.

Colligas licet ex his quodammodo, quid de nupera, eaque inaudita, SUMMI VIRI ſententia cenſeamus, qui pariter *Chlodoueum* Salicarum LL. auctorem facit, qui, non Francis, ſed Allemannis, famoſiſſimo iſto proelio ad Germaniae fines in Wormatienſi agro

agro prope Alpiacum deuictis, istas descripserit Victor.

cX.

Verum, si ante *Chlodoueum* dictatae iam istae sunt LL. vigueruntque inter Francos; quae erudite ac eleganter concinnauit VIR LITTERATISSIMUS, vltro concidunt.

cXI.

Deinde, quis vmquam vllibi locorum legit Allemannum ad LL. Francicarum decempedam dimensum suas esse actiones? proprias Allemanni, si non vetustiores, tamen aeque vetustas Francis, Leges habuerunt: has, quod Franci alibi etiam fecerunt, reliquisse Allemannis, sed emendasse, auxisse, mutasse *Chlodoueum*, vbi opus fuit, facilius crediderim.

cXII.

Sed dabo, dedisſe *Chlodoueum* Allemannis Salicas; nondum eo euiciſti: ergo tum demum eas conditas.

cXIII.

Praetermittimus, iuxta cum aliis quibusdam, iam deuictis Allemannis, iam vero Francis, in deuictorum terras delatis, praefectos datos; item, iam legem a praefectis examinatam & in vſum traductam, iam recens conditam, dici.

cXIV.

Ex indole ipſarum Legum, item ex Prologo earumdem, ex claris Scriptorum de iſtis teſtimoniis plurima, quae doctisſimo viro aduerſantur, petere argumenta, integrum, immo facillimum eſt.

cXV.

cXV.

Leges luculentos vltimae antiquitatis Germanicae characteres vbique prae se ferunt, atque ea tantum vel praecipiunt vel prohibent, quae in homines & tempora ante *Chlodoueum* potius, quam sub *Chlodoueo* cadunt.

cXVI.

In Prologo Legum aperte distinguitur conditio gentis, qua fuerit, quum lex ipsi primum rogaretur, ac quam induerit, quum *Chlodoueus* eiusque filii ipsi praefuerint.

cXVII.

Auctores diuersi, latores Legum, Procerum, Rectorum paganorum nominibus venientes, & emendatores, praecelsi Reges, qui Catholicum baptismum acceperunt, nominantur.

CXVIII.

Diuerſi actus, & Procerum, & Regum, diſcernuntur: Illi ad legem ſanciendam ſemel, iterum, tertium confluxiſſe, omnia ſollicita & nihil praecipitata deliberatione penſitaſſe, ac tandem in certam ſententiam conſpiraſſe, legem dictaſſe, ac, quod tantundem eſt, litteris expreſſiſſe; hi vero pactum legis, iam tum, dudumque conflatum, de nouo ſub incudem reuocaſſe, lucidius emendaſſe, & procuraſſe narrantur decretum hoc, ſeu in hac noua, iam demum a *Chlodoueo, Childeberto* & *HLothario*, per varias acceſſiones & emendationes, inducta forma.

CXIX.

Atque ita etiam diuerſam ipſius legis conditionem ſubgerit: alteram, qua non pauca minus idonea habuerit; alte-

alteram, qua lucidius emendata fuerint illa minus idonea, vt iam decretum hoc, ſeu a priori multum diuerſum, euaſerit.

CXX.

Denique, diuerſum quoque tempus deſignatur, quo deſcripta a paganis Francis Lex Salica, et quo emendata a Chriſtianis Regibus fuerit: Scilicet Prologus dictatam, ſeu conſcriptam, esſe adſerit a Francis Barbaris, qui TUNC apud eos fuerint Rectores; AT VBI, Deo fauente, *Chlodoueus* Rex Francorum primus, receperit baptiſmum Catholicum, lucidius emendatam.

CXXI.

Quisquis aequa lance iſthaec ſingula, pro eo ac par eſt, expenderit, facere

facere profecto non poterit, quin euincere fateatur, Chlodoueum primum Salicae legis vniuersae auctorem nequaquam esse celebrandum.

cXXII.

Quorsum et scriptorum, quorum suffragia hac in caussa omnino valent, faciunt testimonia.

cXXIII.

Qui *gesta Francorum* consignauit *Auctor*, clarissime refert, defuncto *Sunnone*, nouoque Rege electo, ex consilio *Marchomeris*, renouatas, ac de nouo adprobatas esse leges, quas olim iam in Germaniae villabus tractauerint Francorum consiliarii priores pagani.

cXIV.

ADO VIENNENSIS eamdem in sententiam testatur, Francos, nouo rege accepto,

accepto, ſeſe ſubdidisſe legibus, quas inuenerint antea iam alii.

cXXV.

Quibus MOISSIACENSE CHRONICON, iuxta cum aliis huc conſpirantibus, adiicere liceret; ſi quidem prolixo teſtium ſyrmate opus esſet.

cXXVI.

Qui vero ſtatuimus Salicas Leges omnino ante *Pharamundum*, quem vulgo ementiuntur, primumque Francorum Regem dictitant, Germanico in ſolo inter trans-Rhenanos Francos, (vti Romanis vocantur) dictatas, conſcriptasque fuisſe; fateri tamen cogimur, minime ſuppetere, vnde certum eiusce rei tempus probari queat:

cXXVII.

Nondum enim cautum ſatis cenſemus de ſinceritate inſcriptionis Legum Salicarum GOLDASTINA.

CXXVIII.

Neque nobis integrum ducimus, vel HERMANNI CONRINGII, vel GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII ſententiis, de loco rogatarum iſtarum Legum, ſubſcribere.

CXXIX.

De ſtilo, titulis, acceſſionibus, auctoritate, variis LL. Salicarum exemplis, nec non earumdem ab *Ripuariis* differentia, multis eſſe heic nobis nec licet, nec libet.

CXXX.

Vt vero ad Francos vniuerſos reuertamur, ex quo Rhenum iſti traiecerunt, vt conſtantes in Gallia ſedes figerent, Francia Originaria, Primitiua, Antiqua & Barbarica ab acceſſioni-

ſionibus, mira victoriarum felicitate partis, nominibus diſtincta fuit.

CXXXI.

Vnde Franciae Trans-Rhenanae & Cis-Rhenanae, (neutiquam tamen, poſterioribus praeſertim temporibus, omnem cis Rhenum Galliam complexae) Franciae Germanicae, ſeu Antiquae, ſeu Originariae, ſeu Barbaricae, & Franciae Latinae, ſeu Romanae, ſeu Italicae, ſeu Gallicae, ſeu Nouae, Franciae Orientalis & Occidentalis, Sicambricae & Tongricae; item Auſtraſiae & Neuſtraſiae regnorum, aliaque id genus nomina, non ſine laborioſa opera & magna cautione internoſcenda, & explicanda.

CXXXII.

Dum vero iam & de Regimine, Regibus & Maioribus Domus Franco-

rum adtexere quaedam adgredimur: repetendum heic memoria, quod ſuperius adſeruimus, ſocietatem, in quam primi populi Francici coiuerunt, vltra mutuae defenſionis, belli-que ac adſerendae libertatis conſilium, non proceſsiſſe;

cXXXIII.

Poſtea vero in qualemcumque coniunctionem ciuilem demum eualuisſe: donec iuſtum regnum, atque Monarchia, naſci ex ea formarique potuerit.

cXXXIV.

Vbi tamen addendum, populos, quotquot primum bellico ſociati federe fuerunt, numquam forte ad vnum omnes, ſaltim non ſimul, in vnam colauisſe rem publicam.

cXXXV.

CXXXV.

Ex populorum autem genio, re ipſa & Scriptoribus, quos prae manibus habemus, ſuperſtitibus, ita hac de re cenſemus:

CXXXVI.

Homines, eximio libertatis ſtudio actos, non, niſi neceſſitate coactos, qualiscumque etiam imperii ac obſequii voces & audire & pati didiciſſe;

CXXXVII.

Quosdam citius, quosdam ſerius, variis forte inuitantibus causſis, vel vrgentibus neceſſitatibus, eo adductos;

CXXXVIII.

Ex diuerſis Francici federis populis non vnum tantum ſemper, ſed aliquot interdum, ciuili vinculo colliga-

 tos

tos, vt eamdem normam in singulorum salutem & commodum sequerentur;

cXXXIX.

Prout indoles, studia, necessitas, casus, exempla inuitauerant, alios communi singulorum consensu, certis semel positis regulis, potestatem inter se partitos sibi seruasse, alios directionem singulorum ad communem finem in certos, eosque maxume idoneos & praestantiores viros contulisse; alios vnius nutui se subiecisse; ita tamen, vt neque hi, neque isti, suae libertatis qualemcumque iacturam magnopere persentiscerent;

cXL.

Hoc pacto vsu venisse, vt alibi inter Francos plane nulli magistratuum tituli percrebuerint, alibi Procerum

&

& Rectorum, alibi etiam Ducum, Principum & Regum nomina recepta fuerint, & qualiacumque omina: atque hoc ita, vt eodem tempore in diuersis Francorum pagis, diuersi etiam Rectores, Proceresque, ac Reges fuerint, vel singula federa suos vel Reges, vel Duces, vel Comites, vel Rectores habuerint; hancque veram esse caussam, quare eodem tempore, & Regum plurium, &, iuxta regia, Ducum quoque ac Procerum nomina, Francica commemoret saepius Historia.

CXLI.

Temporum successu arctius tamen coaluisse populos, & pauciorum voluntati paruisse, dum vel adtriti florentioribus, honoris seu securitatis caussa, adfluerent, vel victi victoribus adhaererent, atque in eamdem cum

iis

iis formam regiminis concederent, vel alii aliis communium LL. vinculis copularentur: vti pagos Salagheue, Bodogheue, Windogheue, per communem legem Salicam, populorum, antea ſuas ſibi ſeorſum habentium res, ſuosq; ſingulorum Reges ſeu Proceres, conſenſu conflatam, arctius firmiusque coniunctos fuiſſe, nulli dubitamus:

CXLII.

Atque, quum his ipſis Saliis, legum beneficio, interni morbi & enormia crimina minus obesſent, aliique ſubinde accesſisſent: eos Francorum titulum eximie tuitos atqua tanta cepiſſe incrementa, vt, loco plurium Procerum & Regum, quales ipſo in Prologo atque in LL. Salicis nominantur, vnum eminentioris dignationis, poteſtatisque, ac vere Regem, Regalibus ceteris aeque ac populo imperaturum, eligere,

eligere, atque praeficere ſibi, conſultum duxerint.

cXLIII.

Sed quis primus eiusce generis Francorum Rex? id vero cum ignariſſimis plerique videntur neſcire Hiſtorici.

cXLIV.

Ex Chronico PROSPERI atque AUCTORE DE GESTIS FRANCORUM finxerunt nonnulli, nominaruntque, neſcio quem *Pharamundum.*

cXLV.

Ignorant vero eum FREDEGARIUS, SULPITIUS ALEXANDER, RENATUS PROFUTURUS FRIGERIDUS, OROSIUS, &, qui hosce aliàs adiit, GREGORIUS TURONENSIS, grauiter de iſtorum ſilentio conqueſtus.

cXLVI.

Ante; iuxta & poſt *Pharamundum*; Francici floruerunt Reges:

cXLVII.

Is ergo ſaltim, quem quaerimus, Francorum Rex, primus Monarchiae Francicae, tantum abeſt Gallicae, Fundator non exſtitit;

cXLVIII.

Ex ipſius DE FRANCORUM GESTIS SCRIPTORIS teſtimonio ſucceſſor *Sunnonis*, qui vtique Monarcha minime fuit, & Rex, quales ceterae gentes habuere plurimos, fuit.

cXLIX.

Accedit, vix patere, qui, *Sunnone*, mucrone ſuorum cadente, *Marcomeres*, Etruscum tum perferens exſilium, auctor, deligendi in ſucceſſorem filii, ſciſcentibus eſſe potuerit?

cL.

Vnum vnius PROSPERIANI CHRONICI, multis nominibus ſuſpecti teſti-

monium, ſibi parum conſtans, ſtabiliendae ſententiae, perquam oppido dubiae, neutiquam ſufficit.

cLI.

Neque eminentisſimum dicati quondam *Pharamundo* ſepulcri monumentum, extra fabulas ipſum ponit.

cLII.

Acu forte tetigerit rem, qui *Pharamundum* ex cerebro eorum, qui Troianam Francorum originem excluſerunt, enatum adſertauerit.

cLIII.

Vti LEIBNITIUS, ſcribarum oſcitantia, ex *Pharamundo* factum *Priamum* opinatus eſt: ita nos, vice verſa, ex *Priamo Pharamundum* putamus expresſum.

cLIV.

Fauet coniecturae, quod monumenta, *Pharamundum* referentia, auctoribus ſint condita, queis Troiano cretos ſanguine, Troianoque a *Priamo* proſatos eſſe Francos, fuit perſuaſiſſimum; qui ad *Priamum* genus *Pharamundi* expreſſe referunt; qui *Priamum* in Francia regnaſſe, totidem verbis narrant: vt fere indubium ſit, *Priami* exprimere nomen voluiſſe, qui *Pharamundi* adſcripſerunt.

cLV.

Certe PROSPER ille Pithoeanus, poſtquam ad IVtum *Gratiani* annum ſcripſiſſet: *Priamus* quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus: Huiusce *Priami* ſui, cui ſemel fecit nomen, regnumque dedit, memor

mor esse rursum debuit: vnde, *Honorio* imperante, denuo eius nominis nepotem in Francia regnasse, fine dubio scripsit; ex quo posteri vero *Pharamundum* exsculpserunt.

CLVI.

Quid plura? antiquissima FRANCORUM GENEALOGIA apud DU CHESNIUM conceptis hisce verbis adfirmat: ex Genealogia *Priami* fuisse *Merouœum*; Priami autem nomine signatur is, qui *Pharamundus* vulgo vocitatur.

CLVII.

Quodsi igitur pro *Pharamundo* legendus *Priamus*, qui ad priorem *Priamum*, tamquam auum, referendus; hic vero ementitius est: ille non minus iudicabitur suppositius.

 CLVIII.

cLVIII.

Sed, qui *Pharamundo* iſti dicam ſcribimus, *Clodionem* potius primum maxumae Francorum partis cum ſingulari eminentia regem fuisſe, arbitramur: quippe cui Scriptores elogia admetiuntur ac facinora adſcribunt, quae talem luculenter probant; immo ipſa Francorum conſilia & expeditio, quam tum ſuſceperunt, talem poſtularunt.

cLIX.

Nec is, poſtquam Rhenum traiecit & in Galliae interioribus ſubſtitit, queis in Primigenia Francia terga vertit, pro derelictis habuisſe, cenſendus eſt.

cLX.

Retinuerunt ea Duces, Praefectos, Comites, Regales, Subregulos, ſubiectos

ctos partim *Clodioni*, comiter partim eum colentes.

CLXI.

Cum ampliore fortuna ſequuti eum ſunt *Childericus*, & inprimis *Chlodo-uens* :

CLXII.

Poſteriore, quidquid Francicorum titulorum & finium amplitudini deeſſe videri poterat, ſtupenda felicitate, adiiciente.

CLXIII.

Praeſentant igitur nobis tempora *ante-Clodionea*, Reges, Regales, Regulos qualescumque; *Clodionea*, Reges plurium populorum, potentiores, ſpectatioresque; *Chlodoueana* vero, Monarchas.

cLXIV.

Istis vero de Monarchis primae, qui vocantur, stirpis, eorumque *Maioribus Domus*, Francicis, Austrasiis, Burgundicis, Aquitanicis, reuera tandem vltimis regibus plerisque maioribus, plura heic adiicere nihil adtinet.

cLXV.

Ceterum, inter Francos ante *Merouеum indicio Procerum* Regum successio pondus habuit, valuitque adsensus populi.

cLXVI.

Postea filiis paterna obuenerunt regna *successione*, primi adquirentis iure nixa; Procerum tamen honori multum

tum dantibus, & decedentibus, & nouis Regibus.

cLXVII.

Nec opus videtur quamdam veluti commixtionem, (quam politicae res non aeque commode, ac phyſicae, admittunt) electionis & ſucceſsionis comminiſci.

cLXVIII.

Ex antiquitate, ex hiſtoria, populique genio & temporum circumſtantiis recte explicari posſunt, quae nobis obſtare videntur, omnia.

cLXIX.

Neque Imperii noſtri formae, vel iuribus Ordinum in Imperio Romano-Germanico detrahent quidquam, nobiſcum facientes.

cLXX.

Electores ſaltim, propter Capitulationes inprimis, *Caroli V* & *Matthiae* ſpeciatim, non habent, quod ſibi timeant.

cLXXI.

Licet, dum Domanio Imperium Romano - Germanicum caret lautiore, potentioribus numquam non via ad rerum faſtigium pateat.

cLXXII.

Sed nec illud ex noſtra recte infertur ſententia: *Ludouici Infantis* ſucceſſores iniuſto titulo faſces capesſiuiſſe; quidquid etiam nupero in Illuſtris *Coccеii* Prudentiam Publici iuris commentatori videatur.

cLXXIII.

De *forma regiminis* apud Francos pronunciaturis, vti ſuperius iam innuimus

mus, & populi, & tempora inprimis, diſtinguenda ſunt:

CLXXIV.

Liberior illa apud quosdam, apud alios adſtrictior fuit, donec Monarchia eualeſceret.

CLXXV.

Qui poſt *Chlodoueum* regium nomen non, niſi Ariſtocratiae, aut popularis poteſtatis temperamentum fuisſe, dictitant, geſta Regum Francicorum non ſatis expendunt.

CLXXVI.

Id quod propugnabimus, non neſcii de cetero, publica regni negotia in publicis Francicorum Procerum comitiis fuisſe incudi ſubiecta;

cLXXVII.

Immo, exauctoratos aliquot Reges Francicos a Proceribus regni fuisse.

cLXXVIII.

Licet vero haec ita adfirmemus, & nostratium Imperatorum Romanorum iura pleraque omnia, si a iure Sacrorum discesseris (quod & ipsum, procul dubio Augustissimo restitutum Capiti nostro fuisset, si vniuersum Imperium Romano - Germanicum istorum repurgationem admisisset) in Francicis videamus regibus;

cLXXIX.

Regnumque Franco - Carolinum, ceteris paribus, hodieque continuari arbitremur;

cLXXX.

cLXXX.

Neque haec tamen obſeruatio vel tantillum ſupremae iſti, qua Principes Imperii noſtri eminent, obeſt poteſtati: magna enim interea rerum mutatio, ipſis Imperii publicis, tot hominum ſanguine partis, ſanctionibus confirmata, intercesſit.

cLXXXI.

Partium ſtudium palpum obduxerit crasſisſimum, oportet, iis, qui adſerere non verentur, ex Francica Hiſtoria ſuppetere rationes, quibus Gallo-Francicis Regibus ius quaeſitum in Germaniam adſtrui posſit;

cLXXXII.

Quodſi ludere nobis adlubeſceret, potiora, pro iuribus Germaniae in Franco-Galliam, argumenta proſtare, contenderemus.

CLXXXIII.

Coronatos atque inunctos Francorum Reges ante *Pipinum* esse, probari non potest.

CLXXXIV.

Suffecerunt enim Francis alii, Germanis olim quoque frequentati, iique simpliciores, in inaugurationibus ritus.

CLXXXV.

Nec, qui ex testamento REMIGIANO heic occlamant;

CLXXXVI.

Nec, qui de Remensi ampulla nescio quae sesquipedalia ampullantur;

CLXXXVII.

Nec, qui coronae *Chlodoueanae*, *Hormisdae*, pontificis, tempore, ad Petri sepulcrum missae, splendorem obiiciunt.

CLXXXVIII.

cLXXXVIII.

Nec, qui IUONIS CARNOTENSIS et GUILIELMI BRITTONIS auctoritates obuertunt;

CLXXXIX.

Nec, qui numis, *Chlodouei* caput corona conspicuum exhibentibus, nobis insidiantur, vt positam semel sententiam deseramus, efficiunt.

cXC.

Christianissimi elogium, olim aliis quoque commune, inde ab sacro oleo, ad *Chlodouei*, seu *Ludouici I.* baptismum coelitus misso, Galliae regibus proprium esse, indubiis testibus vix probabis.

cXCI.

Vti alii quoque, *primogenitos Ecclesiae filios* recte ipsos celebrari, negant.

cXCII.

cXCII.

Praefuerunt regno Francico Reges, ac prouinciis et limitibus eius, praeter Misſos Regios, Duces, Comites, et ſub his Iuniores, ſeu alii minores magiſtratus, Comitum Vicarii, Centenarii, Misſi, Scabini, Sculdahiſii.

cXCIII.

Debent *Chlodoueo* non vtique parum Chriſtianorum & Religioſarum Sodalitatum ſpeciatim res.

cXCIV.

Moribus de cetero *Merouingorum* ſaltim, *illegitimo* natorum *toro* valuisſe ſucceſsionem, docet, Francos ex Romani iuris formulis non vixisſe.

cXCV.

Sed non fert inſtitutum noſtrum, vt elaboratam ab aliis iam magna diligentia

gentia telam, id genus miſcellarum de Francis obſeruationum, longius heic producamus.

CXCVI.

Nobis ſufficit ex hiſtoria populi, ab quo oriundus fuit *Carolus M.*, quae diximus, repetiisſe; de Maioribus ipſius, quanta fieri breuitate poteſt, atque ex hiſtoria rerum ab eo, nec non reliquis Franco-Carolingis geſtarum, *ad Henrici Aucupis obitum* vsque, ſuccinctis poſitionibus, ſumma capita iam tradituris.

CXCVII.

Maioribus quidem *Caroli M.* ceteroquin clarisſimis, ipſa antiquitas peperit obſcuritatem.

CXCVIII.

Ex iis *Ansbertum*, Romanum Senatorem, adpellare, animus iam non eſt.

cXCIX.

Certior eſt *Arnulphus*, Dux, poſtea & Epiſcopus Metenſis, *Theodoberto II. Chlotario II.* & *Dagoberto*, Francorum Regibus, percarus, idemque Maior Domus, cuius poſteri dignitate iſta ad Pipinum Pium vsque fulſerunt.

cc.

Ex poſteris eius, *Anſegiſus*, *Pipinus*, (Vetulus, Hariſtallius, Iopilla) *Carolus Martellus* inprimis, Maiores Domus floruerunt.

ccI.

Ex *Caroli Martelli* filiis Maiorem Domus egit *Carolomannus*; qui vltronea abdicatione fratri, naſcendi ordine ſecundo, *Pipino*, Maioratum ceſſit.

ccII.

Pipinus iſte, Nani & Pii cognominibus auctus, fortunarum, auctoritatis

&

& potentiae amplitudine praedecesſores omnes ſuperauit:

ccIII.

Tandem, conciliatis ſibi & pontificibus & populo, *Childericum*, inſenſatum Francorum Regem, in quo regale genus totum defecit, S. Audomarii, & filium eius Fontanellenſi, monaſteriis incluſit, Regis titulum A. 752. adſumens, a *Zacharia* pontifice, A. 751. iam, eo nomine renunciatus.

ccIV.

Occupatum ſemel regnum, vnctus A. 754. ab *Stephano*, iuxta cum filiis, *Carolo* & *Carolomanno*, in Francia, ſtudiose firmauit, diligenterque adminiſtratum familiae ſuae penitus adſeruit.

ccV.

Plurimum *Pipino* profuit pontificum fauor, quem ſibi conciliauit, & praeſtitis aduerſus Longobardos auxiliis

peropportunis, frustraque hactenus apud Franciae Reges quaesitis,

ccVI.

Et oblatis, victo semel atque iterum *Aistulpho*, in Altari D. Petri clauibus restitutarum Exarchalium, aliarumque vrbium, ex quibus Petri deinceps enatum patrimonium, saluis quidem imperii iuribus.

ccVII.

Ceterum, Saxones bis feliciter castigauit, caesoque *Waifario*, post diuturnum bellum, Aquitaniae res vtcumque composuit.

ccVIII.

Orti etiam, Pipino ad clauum sedente, Abbatiae ac Episcopatus insignes; Herbipolitano autem Ducatus Franconicus muneri ab ipso datus haut est.

ccIX.

ccIX.

Suſcepit ex *Bertha*, coniuge vnica, *Chariberti*, Laudunenſis Comitis filia, *Carolum*, *Carolomannum*, *Pipinum*, filios.

ccX.

Ex quibus vltimus, vel biennis, vel triennis, diem clauſit.

ccXI.

Exempto igitur Patre *Pipino* etiam rebus humanis A. 768. ad duos priores, Francis, ſollemniter in generali conuentu eos Reges conſtituentibus, ſucceſſio regni peruenit.

ccXII.

Nouiomagi in Veromanduis *Carolus*, *Carolomannus* Sueſſione regni accepit inſignia: Vtroque de nouo inuncto;

ccXIII.

Multis tamen ex diuiſione regni fraternorum quoque animorum, quae

 ſequuta

ſequuta etiam fuit, diuiſionem continuo praeſagientibus.

CCXIV.

Erupturae iam iam in aperta disſidia, quibus componendis nec mater par fuit, erant gliscentes inter *Carolum* & *Carolomannum* ſimultates, quum *Carolomannus* A. 771. Salmontiaci mortuus, ad opes immenſas, potentiam incomparabilem, & res maxumas, latam opportune aperuit portam *Carolo*, ad cuius hiſtoriam, compreheuſe heic repetendam, animum iam adiiciemus, *Magno*.



SECTIO II.

De Imperatoribus *Franco-Carolingis*.

C. I.

De *Carolo Magno*.

I.

SUmma ex *Caroli M.* hiſtoria tradituris capita, non tam vt habeant,

quae

quae dicant, quam vt, quae in promptu sunt, prudenti facto dilectu, succincte, luculenterque, ac iusto ordine proferant, elaborandum inprimis est.

II.

Natales nos magni Imperatoris signabimus, & quae eo pertinent, tum *regna* & *succedendi rationem,* dein *Bella* ipsius praecipua, postea *dignitates* eius *titulosque*, demum LL. aliaque, quae ex *Eiusdem* historia momentum trahunt, vestigabimus, repetemusque.

III.

Venit *Carolus*, seu & *Karolus*, noster in diem A. 742. IV. Non. April. parentibus iam tum nominatis, in Germania, vel ad Vnstrutum in Thuringia, in curte pagi *Vargala*, vel, quod magis adridet, *Ingelhemii,* inter Bingium & Moguntiam.

IV.

IV.

Nec admittere dubitamus, Ingelheimensis istius regii, amplioris pariter ac splendidioris, Palatii auctorem ipsum esse *Carolum*.

V.

Aquisgrani eum communis vsura lucis frui coepisse, nobis vero nondum videtur simile.

vI.

Licet vero & Stirpe & Patria Germanum ipsum faciamus;

vII.

Eo tamen fortunas Germanici Imperii veluti munimento, Gallis inexpugnabili, firmatas à nobis, nequaquam gloriabimur:

vIII

Apud eos enim, qui habendi aguntur libidine, non tam scholarum sententiae,

tiae, quam potentiae modus, pondus habere amant.

IX.

Duc, ſi placet, à pretioſis, quae recens inaugurati Galliae reges Aquasgranum ad *Caroli M.* ſepulcrum tegendum mittunt, mortalitatis ſymbolis, argumentum pro iure Gallorum in Imperium, perinde mihi videberis ludere, atque à patria *Caroli M.* eodem ſcopo argutantes.

X.

Nihilominus eſt, quamobrem ambitioſos audacium Gallorum calamos merito heic obtundamus.

XI.

Ceterum, de indole, pietate, iuſtitia atque actionibus *Caroli* temere non iu-

dicandum, nec elogium eius ſine magno iudicio adornandum eſt.

xII.

Magni titulus, atque *Sancti*, ipſum nobis ſuſpectum magis, quam venerabilem, reddit.

xIII.

Per nos Romana etiam Eccleſia ſibi vindicare illum poteſt.

xIV.

Strenuum tamen eius atque litteris fauentisſimum animum ſuſpicimus.

xV.

Memorandum quoque cenſemus, eum inſignem fuisſe ebrietatis, inſolentis atq; ſumptuoſioris habitus oſorem.

xVI.

Durior autem iuſto in ipſum omnemque ipſius familiam eſt, qui nuperrime ſcripſit: Communiter de *Carolo M.* etiam

iam creditur, eum pium & iuſtum principem fuiſſe, & vulgo maximis encomiis onerari ſolet; at errant hi homines, & hoſpites ſunt verae hiſtoriae. Crudelis fuit, facinoroſus, ſuperſtitioſus, ambitioſus, ſanguinem maxime ſitiens, ſuperbus, & vltra modum adulator. Pater eius, iuſto regi regnum peſſimo modo rapuerat, faſtui Romae Epiſcoporum maxima calcaria addens. Filius, Carolus nimirum hic Magnus, longe peioris erat farinae. Vxorem, Deſiderii, Longobardorum Regis filiam, iniuſte thoro deturbabat, quo melius regnum eius ad ſe rapere poſſet. Saxones deteſtabili bello petiit, iisque, vti & aliis Ethnicis, religionem Chriſtianam igne & ferro inculcauit: abominandis ſuperſtitionibus religionem defoedauit; ſuperbiam Clericalem mirum in modum

 auxit:

auxit: imo nullum adulationis genus praetermisit, quod exercere non adlaborauerit. Genealogistae nostrae gloriae ducunt, Principum nostrorum ortum a stirpe huius *Caroli* deriuare, at abeant omnes eiusmodi deductiones, cum parum honoris adferat, illius sanguini originem debere, qui innumeris vitii conspurcatus, & cuius posteri ob nil aliud nominandi, quam, quod vitam aut segniter, aut futilibus bellis peregerint.

xVII.

Quae de Gigantea *Caroli* statura circumferuntur, fabulis accensemus; censentes etiam, inepte interpretari EGINHARDUM, qui scribendi expertem ipsum crepant.

xVIII.

Nec Barbae Ipsius multum litabimus, antiquis licet cultae Barbis.

xIX.

xIX.

Succesſit autem Noſter iure Patris in regna ab eo relicta.

XX.

Nec quemquam, vel ipſi vel fratri, diuiſa occupantibus, controuerſiam mouisſe, legimus;

xxI.

Ipſi tamen, nouam familiam de conſenſu Procerum, populique, prudenter ſollicitam fuisſe, credimus.

xxII.

Vnctum tertia vice *Carolum*, in regnis etiam *Carolomanni*, hoc defuncto, dubio caret.

xxIII.

Imperium Francicum pene duplo auctius, quam a patre acceperat, reliquit:

xxIV.

A patre hereditario iure obtinuit, atque armis deinceps adquisiuit, praeter Germaniae & Occidentalis Franciae partes, Allemanniam item, ac Boioariam, exuto *Tassilone*, comitum regimini subiectam, nec non gentes, quae comiter Carolum coluerunt:

xxV.

Waldo superato, & *Lupo* se dedente, *Aquitaniam ac Vasconiam*;

xxVI.

Saracenis aliquoties deuictis, partem *Hispaniae*, insulas *Baleares*, vt, qui vltro in amicitiam cum *Carolo* coaluerunt, taceamus;

xxVII

Euerso Longobardorum, quod duo supra secula substitit, regno, vniuersam *Italiam Longobardicam*, Constantinopolitanis modicum Calabriae tractum retinentibus;

xxVIII.

XXVIII.

Post acerrimum triginta, & quod excurrit, annorum cum ferrea gente bellum, *terras* amplissimas *Saxonum*, Francis, & armis, &, vt *Sabini* olim Romanis, pactis coniunctorum;

XXIX.

Domitis semel, atque iterum, Oceani in extrema Galliae parte ad Occidentem adcolis, *Britanniam* minorem;

XXX.

Ad incitas redactis Hunnis, vtramque *Pannoniam*, vltra Anasum productis limitibus;

XXXI.

Post varias velitationes & pactiones,

Arua *Liburnorum*, vel quae vocitantur ab *Histro*,

Nec non *Dalmatiam*, subdidit & *Daciam*;

Exceptis, iuxta federis tabulas, maritimis ciuitatibus, Constantinopolitanis relictis, *Venetaque* item vrbe, sibi reddita.

XXXII.

Et, vt vno fasce comprehendamus omnia, ipse *Carolus*, praeter *Romanos, Francos, Allemannos, Baiuuarios, Saxones, Turingios, Fresones, Gallos, Burgundiones, Britones, Langobardos, Wascones, Beneuentanos, Gothos & Hispanos*, alios quoque sibi subiectos fuisse populos, gloriatur.

XXXIII.

Ex quibus nullo etiam negotio intelligas, quibuscum in arenam descenderit atque arma inprimis conseruerit *Carolus*.

XXXIV.

Scilicet continuauit, feliciterque confecit Bellum *Aquitanicum*, *Hunoldo* seu *Waldo*, qui, filii *Waifarii* fato accensus, ad res nouas moliendas Aquitanis praeiuit, fugato, exstinctoque.

XXXV.

XXXV.

Longobardos, florentisſimum hactenus, ipſisq; à Francis cultum populum, ſed a Pipino iam grauiter caſtigatum, penitus oppresſit:

XXXVI.

Inuitatus nimirum ab *Hadriano*, pontifice, atque fraterni regni acceſſione interea acutus, ingratum *Deſiderium*, Romanis oppido grauem, fugauit, cepit, abduxit;

XXXVII.

Atque ita in Italia Longobardicum deleuit, Franciſque nouum comparauit, ſtabiliuitque regnum, A. DCC LXXIV. Modoetiae *ferrea*, quam vocant, redimitus *corona*:

XXXVIII.

Poſtea & filio Deſiderii, *Adalgiſo*, ex Graecorum auxiliis aliquamdiu meliorem ſortem ſperante, & *Rotgando*

Aragisoque, perduellibus, feliciter vel exſtinctis, vel ad obſequia redactis.

XXXIX.

Neutiquam vero aeque facile patratum eſt horrificum illud bellum *Saxonicum*; reſtinctum quidem aliquoties, ſed continuo renatum, reuocatumque contentius, atque caedibus & deuaſtationibus immaniſſimis vltra triginta annos tractum.

XL.

Geſtum ſcilicet a gentibus, quas ſol vidit, ferociſſimis aſperrimisque, per mutuas laeſiones antiquamque aemulationem in odia implacabilia efferatis.

XLI.

Auctor eius fuit *Carolus*, recens Imperator, isque triginta vix natus annos, Wormatiae in publicis comitiis ita inflammans ſuorum animos, vt ſtatueretur:

Scxo-

Saxonibus *requies vt nulla daretur,*
Donec Gentili ritu cultuque relicto,
Christicolae fierent, aut delerentur in aeuum.

XLII.

Caussas rei suscipiendae interposuit varias; eas vero vel fictas plane, vel suasorias, vti vocantur, tantum.

XLIII.

Inprimis propagandae verioris doctrinae, proferendorum purioris coetus limitum atque vindicandae Christianae Religionis ardore flagrare, videri voluit nouus Rex.

XLIV.

Ast, gratum quidem Deo pignus, pietas: sancta nomina, Religio, dignitas sacrorum.

XLV.

Valent in toga, valent in sago, momentumque habent apud defensuros; inuadendi titulum nullatenus praebent.

XLVI.

Christus & ii, queis ab ipso sanctiorum veritatum disseminandarum adserendarumque munus fuit demandatum, nesciunt id genus Hispanici moris exempla, & praeludia.

XLVII.

Et certe pessimi exempli rem adgrediuntur, qui armis docere, atque ad frugem errantes adducere moliuntur, vel iis, qui id fecerunt, dicunt scribuntue panegyricos.

XLVIII.

Demum, fas belli est, pugnare aduersus hostes, qui iniuriam intulerunt; religionis obtentu capessere bellum, exuere fortunis gentes, iniustum.

XLIX.

Habes ita, quod hocce de bello Carolino iudices;

L. Quod-

L.

Quodſi ex ſuccesſu & euentu de iuſtitia belli iudicare, integrum aeſtumaremus; rationem, cur tam cruentum, tam diuturnum Caroli cum Saxonibus fuerit bellum, nec ſubigi penitus armis illi potuerint, ex improba eius ſuſcipiendi cauſſa repetere, nulli dubitaremus.

LI.

Nimirum indomitus inter clades populus, non ſuperiore hoſtium virtute, ſed ſua tandem lasſitudine, ac ſurgente in vltionem Numine, comique primum *Wittikindi* & *Albionis*, deinceps & aliorum ad fedus Francicum inuitatione, adductus poſtremo eſt, vt in ciuilem Francorum ſocietatem & communem Imperii Francici compagem, absque vllo tributorum onere, propriis, ad Chriſtianorum quidem

ſacrorum tenorem emendatis, legibus ſeruatis, tranſiret per pacta.

LII.

Valent vero, quae diximus, in quaeſtione, de inferendo Saxonibus bello; minus, de illato:

LIII.

Vti enim ibi ius Francorum, ita heic fidem Saxonum deſideramus.

LIV.

Ceterum, euerſa iſto in bello Saxonum eſt *Irmenſula*;

LV.

Quae non *Martis* quidem, aut *Mercurii* fuit ſtatua;

LVI.

Sed truncus altitudinis eximiae in honorem ac memoriam *Arminii*, Cheruſcorum ducis, decantatisſimi Romanorum Victoris, ſub dio primum erectus;

LVII.

LVII.

Poſteà ab Saxonibus, verum eius ſcopum ignorantibus, ad quoddam ſuorum Numinum relatus, religione ſuperſtitioſa cultus:

LVIII.

Vel forte, impoſito idoli ex ſuis ſimulacro, auctus, fanoque incluſus:

LIX.

Gallis cum *Carolo* eo diuertentibus, pro *Mercurii* aut *Martis* ſimulacro, quorum aliquid retuliſſe videtur, habitus.

LX.

De *Witikindo*, qui magna eiusce belli pars fuit, addendum heic, illum nequaquam primum regem Saxonum, immo nec ducem Saxoniae, a *Carolo* conſtitutum, fuiſſe.

LXI.

LXI.

Ne vero extra inſtituti oleas diuagemur, reliqua Imperatoris noſtri bella arctiori verborum compendio ſignare, iam ordo iubet.

LXII.

Bellum *Hiſpanicum*, ad quod a factione Saracenorum, inteſtinis turbis inter ſe disſidentium, dum componendis rebus Saxonicis vacauit, inuitatus fuit, breui, finibus regnorum ad Iberum prolatis, feliciter confecit;

LXIII.

Niſi quod nouisſimum reducis agmen in ipſo Pyrenaei montis iugo Vaſconicam perfidiam dicatur perſenſisſe.

LXIV.

Quae clades commento, de *Rolando*, Caroli nepote, *Berthae*, Caroli ſororis,

ris, filio, Comite Cenomanensi, domino Blauii, giganteae formae, Saracenorum terrore, vulneribus tum confecto, praebuit occasionem;

LXV.

Istud vero turpissimum *Turpini* monstrum monstrosae *Rolandinarum*, quas vocitant, *statuarum* explicationi.

LXVI.

Ceterum, non minus felicia sequentibus etiam temporibus in Hispania fuerunt arma Ducum, filiique Imperatoris nostri: quibus & Imperium, & auctoritas eius plurimum creuit.

LXVII.

Britannicum bellum, cui *Wido*, limitis Britannici custos, finem imposuit, Francis Cis-Marinam peperit Britanniam.

LXVIII.

Bellum *Bauaricum*, cui *Pipinus* iam operatus fuit, *Tassilonem*, hominem varium, coniugis & malefidorum amicorum seruum, perfidiae grauiter punitae exemplum, ducatu suo & libertate priuauit.

LXIX.

Hunnicum Bellum octauo demum, quam incidit, anno finitum, *Tassilo* accendit, *Carolus* vero tanta virtute administrauit, vt bini, quibus Marchiam Foroiuliensem simul, ac Boioariam, inuaserant furibundi Auares, breui fortiter fuerint deleti.

LXX.

Recruduit tamen illud, orta super limitibus, *Anaso* quondam signatis, controuersia, quae

et origo fuit belli, quod posteriori
Tempore cum Hunnis Franci gesisse probantur.

Pro-

LXXI.

Productum variis Hunnorum cladibus, *Erico*, *Pipino*, *Wonomirro*, ducibus, donec vltimo malorum, difcordia, Hunnos, nobilitatem inprimis, infeftante, diuifisque ita viribus, ac deditionem quibusdam facientibus, colla fceptro *Caroli* fubmittere coacta fuit effrenis gens.

LXXII.

De *Bohemico*, *Slauico* & *Nordmannico* bellis, aliisque velitationibus, multis heic esfe, nobis non licet.

LXXIII.

Ex titulis fuis Carolus *Regis Francorum* elogium, cum Carolomanno, dum vixit, commune, hereditario iure a patre accepit, eo ab A. DCCLXVIII. ad A. DCCLXXIV, ifthac vfus formula: *Carolus, gratia DEI, Rex Francorum, vir inlufter.*

Q 2 LXXIV.

LXXIV.

Adiecit isti *Longobardorum Regis* axioma, ab A. DCCLXXIV. ad A. CCM. isthac verborum serie potissimum scribens: *Carolus, Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum, ac Patritius Romanorum*, adiecto saepissime elogio, *vir inluster.*

LXXV.

Accessit quoque, quod in priori syrmate iam conspicimus, *Patricii Romanorum* ornamentum; iuxta *Pipinum, Carolo & Carolomanno*, olim iam ab *Stephano*, pontifice, collatum.

LXXVI.

Vis vocis vero alia *Romuli*, alia *Augusti*, alia *Constantini M.* aeuo, alia apud *Francos* fuit.

LXXVII.

Quum *Pipinus*, eiusque filios exornauit, iura defensionis Sedis Romanae

innuis.

innuisse videtur; nec sola, vt MABILLONIO visum, verbi pompa constitit.

LXXVIII.

Eximiori vero sensu valere coepit *Patricii* elogium, vbi A. DCCLXXIV. in sollemni panegyri Antistitum sacrorum & Romanae Curiae Cardinum *Hadrianus*, pontifex, *Carolum* Romae eo salutauit, & eligendi pontificem & Sedem Apostolicam ordinandi, & sacros omnium ordinum Antistites laudandi potestatem ipsi eodem concedens.

LXXIX.

Eminens videlicet in vrbem Romam dominium, ipsumque in pontificem atque populum Romanum designauit imperium.

LXXX.

Vnde & *Leo*, pontifex, vtprimum su-

ſupremum iſtud ad faſtigium eniſus eſt, per legatos ſuos *claues confesſionis S. Petri*; *ac Vexillum Romanae vrbis, cum aliis muneribus, Carolo miſit, rogauitque, vt aliquem de ſuis Optumatibus Romam mitteret, qui populum Romanum, ad ſuam* (Caroli) *fidem atque ſubiectionem per Sacramenta firmaret*; cuius rei cauſſa deinceps etiam, Abbas Monaſterii S. Richarii, *Engilbertus*, Romae adpulit.

LXXXI.

Per Misſos quoque ſuos iura Romanis dixit, lites, pontificem inter ac Romanos exortas, examinauit, aliaque iura maieſtatica exercuit, nulla fere, in ſeculi praecipue rebus, pontificis auctoritate Romae reliqua.

LXXXII.

Tandem incoante Anno Iↄccc. ipſo Chriſti natali die, *Imperatoris Romanorum* & *Auguſti* titulus etiam adiectus fuit, in D. Petri Aede rei diuinae vacantem coro-

coronante *Leone*, eodemque imperatorium honorem coronato actutum adoratione habente, circumfuso autem populo adclamante: *Carolo Augusto, a Deo coronato, M. & Pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria!*

LXXXIII.

Confirmata non tantum nouo isthoc titulo fuerunt *Carolo* & familiae ipsius, quae *Patricii Romanorum* encomium adtulerat pridem; sed prae omnibus, Orientalibus quoque, Europae principibus & Regibus concessa Proëdria.

LXXXIV.

Tantum abest, vt personato isti Italo, eiusque perspicacissimo ceteroquin Commentatori, subscribamus, qui Patricii & Imperatoris elogia Aduocati & Defensoris sensu, praeter omnem rem, coarctant.

LXXXV.

LXXXV.

Nec mens & verba, pontificis pariter ac populi Romani, nec Scriptorum teſtimonia, nec genius & actiones ipſius *Caroli*, quae iſti contendunt, admittunt.

LXXXVI.

Ipſi quoque *Caroli* numi, de *Renouatione* potius Imperii Occidentalis, quod inde ab *Auguſtulo* ſuſpenſum quieuit, teſtantur.

LXXXVII.

Quo autem titulo titulum Imperatoris, & quo largitore ipſum imperium *Carolus* acceperit? non vna omnium, qui hacce de re ſcripſerunt, eſt ſententia.

LXXXVIII.

Nos quidem omnium maxume arbitramur falli, atque fumos apertè vendere, qui pontificem heic omne tuliſſe punctum clamitant, adeoque & huic no-

nouum Imperatorem imperii munus decusque, in acceptis referre debuisse, gloriantur?

LxxxIX.

Neque illis accedimus, qui populum Romanum, suae libertati velut restitutum, per se legisse *Carolum* & voce primi ciuis, id est, Episcopi sui, pronunciasse contendunt.

XC.

Neque ab solo victoriae iure (quo nulla vmquam constituuntur imperia, neque etiam in Romanos vti potuit *Carolus*) titulum vindicati imperii repetere audemus.

xcI.

Sed, Historiae filum sequentes, heic plura in censum venire iudicamus, quorum nullum temere praetermittendum; occasiones tamen curate discernendas a caussis esse.

xcII.

Longobardorum inuaſiones, & res in Italia magis magisque effloreſcentes, regnumque potentisſimum; acciſae Conſtantinopolitanorum vires, exploratа tot annorum cladibus impotentia, ſumma inde Romae, Romanique pontificis, ſenatus, populique necesſitas, vti implorandi auxilia Francorum, ita & in eorum, in Italia iam ſuperiorum, Imperium potius conſentiendi, quam extrema patiendi, Romanis fuerunt occaſio.

xcIII.

Verae vero conſtituti Carolini imperii cauſſae nomine laudamus Senatus Populique Romani luculentum conſenſum, Patritiae dignitatis, Imperatoriique tituli ſollemni collatione, atque publica inauguratione rite declaratum,

poſtea

poſtea etiam per transactionem Nicephorianam plenisſimam vim nactum, confirmatumque.

XCIV.

Non praetermittendum poſtremo, conueniſſe *Carolum* inter, atque *Leonem*, in mutuis compellationibus inter ſe *fratris* titulo poſthac vtendi.

XCV.

Ceterum, non minori ſtudio, prudentia atque auctoritate in ſecularibus et eccleſiaſticis rexit, firmauit, tuitusque eſt regna ſua *Noſter*, quam adquiſiuit fortitudine.

XCVI.

Francorum ſuorum leges, prout res tulit, correxit, auxit, aliorum quoque populorum legibus collectis.

XCVII.

In comitiis Aquisgranenſibus, vt alia eius rei documenta taceamus, at-

que Capitularia Caroli iam non expilemus, A. ɔcccll. ſpeciatim, *congregatis ducibus, comitibus, cum reliquo Chriſtiano populo & Legislatoribus, fecit omnes leges in regno ſuo legi, et tradi vnicuique hominum legem ſuam, et emendare, vbicumque necesſe fuit, et emendatam legem ſcribere, et vt iudices per ſcriptum iudicasſent, & munera non accepisſent, ſed omnes homines, pauperes et diuites, in regno ſuo iuſtitiam habuisſent*, &c.

xcVIII.

In Italia etiam publicas ipſum res, continuo poſt notabilem coronationem Modoetianam, pro arbitratu ſuo ordinasſe, conſtat:

xcIX.

De Feudis, magiſtratibus, adminiſtratione iuſtitiae, aliisque diſpoſuit;

C.

Feudatariis ciuitatibus, eccleſiis ac monaſteriis Fodrum, Paratam & Manſionaticum impoſuit.

cI.

Quoties in Italiam venit, conuentus Epi-

Episcoporum, Abbatum, ac Procerum Italicorum habuit: vt aliquam Italiae libertatis speciem praebuisse videretur;

cII.

Salicam legem nouo quoque regno isti intulit: vt in Italia tum Salica, Longobardica & Romana viguerint Leges.

cIII.

In regendis prouinciis, quas ipse frequenter adiit iustitiae administrandae caussa, Ducibus, Comitibus, Missis; in tuendis limitibus vsus est Marchionibus.

cIV.

Comitia pleraque in praecipuis Germaniae ciuitatibus, vel Ingelhemii, vel Wormatiae, vel Aquisgrani, vel Paderbornae, vel Francofurti, mense Maio, cum Proceribus celebrauit.

cV.

Tabulariorum publicorum instructum adparatumque curae cordique habuit.

cVI.

Primi secundique Ordinis, Cancellarios & Scriniarios, quos aluit, BERNARDUS à MALLINKROT recenset.

LVII.

Maioribus Domus substituit Comites Palatii, seu Palatinos.

cVIII.

Primas Vehmicorum seu secretorum in Westphalia iudiciorum origines in Historia *Caroli M.* non frustra quaeras;

cIX.

Licet illorum, quae postea eo nomine saeuierunt, Carolum ab iunioribus scriptoribus minus recte salutari auctorem, rectissime adseras.

cX.

cX.

Nostro debet Aquisgranum, ob thermas calentes ipsi ad vitae finem vsque deamatissimum Tertiaeque Romae decus splendoremque fere nactum, quod merito audiat:

Vrbs Aquensis, Vrbs Regalis,
Sedes Regni principalis,
Prima Regis Curia.

cXI.

Almonam, amnem, cum *Radantia* coniungere, promptamque adeo nauigationem ex *Rheno*, per Moenum, Radantiam atque Almonam in *Danubium* procurare, inani molimine conatus est.

cXII.

Insignum Imperialium, quae Noribergae atque Aquisgrani hodieque adseruantur, a *Nostri* repetere aeuo, quidquid etiam speciosorum ab aliis obuer-

tatur

tatur argumentorum, nulli ambigimus.

cXIII.

Spatham, ſeu gladium, prodeunti in publicum a Praefecto Praetorio fuiſſe praelatum, pro certiſſimo habemus.

cXIV.

Pomum etiam imperiale, ſeu globum iſtum aureum, eumque crucis auctum ſigno, eidem adſcribimus.

cXV.

Aquilarum vero ſimulacra in publicum imperii morem inuexiſſe ipſum, ex veterum annalium pandectis exploratum ſatis, perſpectumque, nobis nondum eſt.

cXVI.

Albinagii nomen & ius, ex translatorum a *Carolo* in Galliam Saxonum Albinorum hiſtoria, non inſcite deducas.

cXVII.

cXVII.

Monetam *Carolus* non, nisi in palatio suo, fieri voluit.

cXVIII.

In Pontifices, Episcopos & Abbates, quoties de eorum electionibus, confirmationibus, vel litibus, actum fuit, partes suas *Carolus* egregie est tuitus.

cXIX.

Iubente eo, ad sacra confluxere comitia, eoque directore omnia egere Praesules.

cXX.

Postillarum lectio publica, Benedictio sacerdotalis, quam vocant, inaugurandis matrimoniis adhibita, Organa Musica & variae cultui externo splendorem conciliantes ceremoniae in templis; nec non Episcopatus & Monasteria plurima, scholaeque, in

Saxonia, atque alibi ipſum habuerunt auctorem.

cXXI.

Pontifici donationem *Pipini* confirmauit, iure, principatu & ditione ſibi retenta, vt loquitur CAROLUS SIGONIUS.

cXXII.

Inclinante aetate cum aduerſa valetudine frequenter eſt conflictatus, librorum, diuerſo idiomate ſcriptorum, collatione, aliorumque lectione, quorumdam etiam ſcriptione, tempus fallens.

cXXIII.

Diuiſit regna A. DCCCVI. iam inter filios, *Carolum*, *Pipinum*, *Ludouicum*; reliquit, ſi ab Italia, quae *Bernardo*, *ex Pipino* nepoti, ceſſit, diſceſſeris, *Ludouico*, ſoli poſt patrem ſuperſtiti, eidemque, antea iam ſollemni Procerum adplauſu deſtinato, ſucceſſori.

cXXIV.

cXXIV.

Coniuges complexus est *Hermingardam*, seu *Sibyllam*, *Longobardicam*, iniuste (quod *Adalhardus*, Caroli patruelis, contendit, testibus PASCHASIO RATBERTO & S. GERARDO, apud BOLLANDUM) post annum, Pontifice, Stephano, auctore, dimissam;

Hildegardam, Sueuam;

Fastradam, seu *Fastradanam*; Franciae Orientalis comitissam;

Luitgardam, Allemannam.

cXXV.

Coniuges inferioris conditionis, seu concubinas, eo tempore certis legibus non illicitas, aluit, quod scimus,

Mathalgardam, Rothildis, filiae, matrem;

Gersuindam, Adaltrudis genitricem;

Reginam, Drogonem & Hugonem, magnos postea Ecclesiae Antistites enixam;

Adelluidam, ex qua sustulit Thederichum, filium.

cXXVI.

Filios ex Hildegarda suscepit, *Carolum*, Regem Francorum Orientalium, qui An. DcccXI. coelebs obiit; *Pipinum*, A. DccXXci. Italiae Regem factum, sed relicto filio *Bernardo*, A. DcccXIII. eiusdem regni rege creato, mortuum A. DcccX. *Ludouicum*, de quo deinceps agemus. *Filias*, male quidem, ob patris indulgentiam compositas & pessime ob venerea furta audientes illas, ex eadem, *Rotdrudim*, *Bertham* (cuius cum *Angelberto* matrimonium non aeque negari potest, ac *Emmae* cum *Eginhardo*) *Gislam*; ex *Fastrada*, *Thedradam*, *Hildrudim*; ex incerta concubina, *Rothaidem*, vidisse dicitur.

cXXVII.

Mortalis esse desiit A. ↄcccXIV. V. Kal. Febr. febre, quam saepius antea inedia correxit, enectus, Aquisgrani; vbi Basilica, ab ipso magnis sumptibus exstructa, Monumento, eius exuuias seruante atque ab Ottone III. recluso, superbit.

cXXVIII.

Sanctorum Ordini, Friderico Barbarossa imperante, a Paschali III. adscripti memoriam xxVIII Ian. die quotannis religiose, modico quidem Sacerdotum commodo, recoli in Pontificiorum coetibus, latet, nobis non memorantibus, neminem.

Co-

COROLLARIA.

I.

Philoſophiae vox non humilitati, ſed ſuperbiae ſuam debet originem.

II.

Sapientia Socratem omnes vicisſe viros, nec Delphicum edixit Oraculum, nec ſapientum dicet quisquam.

III.

Vti fauentiores iuſto expertus is eſt laudatores: ita iniquiores coniux Xanthippe habuit cenſores.

IV.

Vbi pleraeque exulasſent diſciplinae, vſuque caruisſent; ibi primas tenuisſet Hiſtoria.

V.

Aegyptios, Babylonios, Phoenices, Sinenſes, ambitioſa antiquitatis adfectatione, omnium riſum meruisſe, indubium eſt.

VI.

Audiendi gentiles non ſunt, vbi de ratione primorum temporum conferuntur rationes.

VII.

Sed nec eorum aliqua esſe auctoritas debet, qui ex Chriſtianorum coetu Pyrrhonismo in Chronologia antiqua iuſto plus fauent.

VIII.

vIII.

Nec, praeter Ebraeum codicem, vllius habenda ratio Conuersionis sacrarum litterarum.

Ix

Primus omnium Monarcha fuit Nebucadnezar.

X.

Non est, quam ob rem albis excipiendos dentibus existumes, communis de IV *Monarchiis Sententiae Patronos.*

xI.

Croesus, rogo impositus, Solonis nomen non inclamauit.

xII.

Roma non est ab Romulo.

xIII.

Hypothesi plus, quam fas est, inseruiunt, qui Carolingorum historiae vsum in I. P. negant.

xIV.

In controuersia de Ioanna Papissa cum Dauide Blondello facere malumus.

xV.

Richardum & Alphonsum ex Imperatorum indice non expungit decantatum axioma: Germanum *esse Imperatorem debere.*

xVI.

Torneamentorum sollemnia ante vndecimum seculum quaerenda non censemus.

xVII.

XVII.

Ottoni III. nec Electoralis auctoritas instituti electoralis Collegii honorem adserere valet.

XVIII.

Iustitia exauctorationum Adolphi Nassouici et Wenceslai probari nequit.

XIX.

Comites Wurtembergiae aeuo Wenceslai iam in Candidatorum imperii censum venerunt.

XX.

Sueuici federis socii Ducatum Wurtembergicum vendere non potuerunt.

XXI.

Angliae Acatholicae labem non inurunt infamem Henrici VIII. *in Annam Boleniam amores.*

XXII.

Iohannes Faust, der Schwartz-Künstler/*dum litterae erunt, diuini beneficii auctor celebrandus est.*

XXIII.

Quum vniuersales Propositiones merito censeantur periculosae: nemo ambigat, vtrum sibi, an aliis plus detraxerit, qui veluti ex cathedra nuper pronunciauit: Theologi inepti Doctores sunt historiae ciuilis.

XXIV.

Fedus Anti-Turcicum nec suadendum, nec sperandum est.

XXV.

Eluuio ista, qua primus periit mundus, omnino fuit vniuersalis.